






A
121
AG






ENARRATIO

TRIVM LOCORVM EX
 capite secundo. Deuteronomij in ca-
 thedræ sanctarum scriptura-
 rum petitione.





REVERENDO PATRI
FRATRI MICHAELI ME-
dina sacre theologia magistro assi-
gnatorum, & in publico
Complutēsi teatro ex-
planatorum.




 Ex approbatione & priuilegio suppremi Magi- 
 stratus Regij, iuxta Pragmaticam sanctionem
 Anni. 1558.

COMPLVTI.
Ex officina Ioannis Brocarij.
Anno. M. D. Lx.



215924079
AD ILLUSTRISSIMAM
Dominam Franciscam Cerdam Cordouam Al-
phonsi Cunigæ Soromaioris Gibræleonensis,
& Bellarcensis Principis Viduam.

Frater Michael Medina.

S.



OSTVLASTI (immo pro tuo in me meaq; studia iure imperasti) Princeps Illustrissima, vt eam lectione quam in publico Complutēsi theatro: in cathedrę sanctarum scripturarum petitione hisce diebus habueram, ad te darem. Ecce quo tuo & quorumdam aliorum desiderio satisfaciam typis excussam habes. Neq; enim mihi fas est, tibi quicq; denegare, cui omnia mea studia accepta non referre fuisset ingratiſſimum. Tuum est vnius noctis elucubratione, & eam pro corporis & animi lassitudine, quibus illis diebus in acquirendis scolasticis gradibus penē fuerā atritus, tumultuariam boni cōsulere: Nam tuā stēmata, illustris animus, ingens liberalitas, literarū peritia, nō fœminea sed plane virilis prudentia, aliās sunt nobis decātanda. Vale. Compluti, vndecimo Calendas maias. Anno. 1560.

ENARRATIO
TRIVM LOCORVM EX
capite secundo. Deuteronomij in ca-
thedrę sanctarum scriptura-
rum petitione.

REVERENDO PATRI
FRATRI MICHAELI ME-
dina sacre theologiae magistro assi-
gnatorum, & in publico
Complutēsi theatro ex-
planatorum.



LLECTIO heri mihi assignata à permagnifico Domino Rectore & dignissimis consiliarijs; sita est apud secundū Deuteronomij caput, locum profecto suapte natura infœcūdum & in quem paucissima sint commentaria, cum tamen candidatis nostris fœlicissimi loci cōtigerint. Sed temeraria sortis fortuna industria & diuina munificencia superāda est.

¶ Possemus hic tā de huius libri autore, quā de eius usu & sine multa præfari, nec enim de his, omnibus cōuenit: quemadmodum & quosdam audio fecisse, quod forsam legitimum tempus implerent: possemus & paraphrastem agere, aut contionatorie vicia debortari,

A ij

aut

aut ad virtutem accendere: Sed longe aliud contionatoris, quàm sanctarum scripturarum interpretatis officium est. Illius enim est, Euāgelicæ prædicationis falce amputare peccata & virtutes inserere: istius vsitas phrasēs sanctę scripturę, quo vnus locus ex alio intelligatur, exponere. Ergo in vniuerso hoc capite nihil aliud agit Moses, quàm diuina beneficia Israelitico populo exhibita in memoriam reducere. Ea autem duplicia fuerunt: quedam quę pacis, quedam autem quę militiæ tempore collata sunt. Priora priori, posteriora posteriori parte capituli repetit. Ex priori parte locum vnum, ex posteriori duos in presenti lectiōe interpretandos assumpsimus. Nam omnia velle prosequi vnius lectiōis & horę angustia non patitur. Prior locus sic habet primitiua lingua Hebraica (inquam) qua primitus liber hic sicut & alij libri legis fuerunt scripti.

יהוה אלהיך ברכך בכל מעשה ידך ידע לכתך את המדבר גדל הזה ארבעים שנה יהוה אלהיך עמך לאחסרת דבר
 Hebraice nescientibus. Iehouá elohécha baráccha bechól maghacéh iadécha: iadágh lechtechá éthamidbár hagadól haze: arbaghím Sanáh: iehouá elohécha ghimechá: Lohacárta dabár. Quę si sint aduerbum Latine reddenda ita dicemus. Deus Iudex tuus benedixit te in omni opere manuum tuarum, cognouit ambulare te desertū istud magnum, istis quadraginta annis Deus Iudex tuus tecū
 & non

Summa
 riatotius
 capituli
 postio &
 partitio.

& non desiderasti verbum. Hęc verba Ionathas Chaldaeus paraphraſte: ita interpretatus est Chaldaeo idiomate.

יהוה אלהיך ברכך בכל עבדי ידך סיפסל לצורך במרכ ותמדכרא
 רבאה דנא אר פנגש ננמרא אדמי: אלהיך כסעדך לאחסרת טודעם
 Chaldaice nescientibus, Iehoua elahach barchach bechol ghobade iedech zippeK Lach Zorchach bim-bachach iathmadbera rabba haden denan arbeghin senin memera dihoua elahach imaK Lachagarte midágham. Quę sunt. Dominus Deus tuus benedixit te. In omnibus operibus manuum tuarum, sufficienter tribuit tibi necessitatem tuam cum ambulares desertum magnum hoc istis quadraginta annis, verbum domini Dei tui in auxilio tuo, non priuatus es à quoquam. Et in priori quidem clausula nihil à genuina Hebraici textus sententia dissentit, in secunda verò licet non nihil diuariare verbis videatur, re tamen nõ differt. Nam cognouisse Deum Israelitici populi errores peruastam illam Arabiae solitudinem, nihil aliud videtur quã sufficienter illi tribuisse necessaria, aut rationem illius illo tpe habuisse. Porro quod tertia clausula iquit, istis quadraginta annis verbū Dei tecū fuit, vel in altiore theologia sensu suo more rapit Paraphraſtes, quò innuat, quòd sicut per Dei verbum mundus initium accepit, ita per idem & legē acceperit, & cetera beneficia quę toto illo tempore fuerunt diuinitus illi collata, quò Paulus alludit, cum dicit, legem datam fuisse per angelos in
 A iij manus

manu mediatoris & de quo Augustinus Steuchus
multa ex varijs tum ethnicis, tum Hebrais autoribus
libro de Perenni philosophia coaceruat, ita vt quod
Moyſes quadraginta annis cum Israelitico populo
Deum habitasse dicebat, Paraphraſtes ad ſecun-
dam perſonam diuinam a proprieate detorſerit, aut ne-
ſcio quo pacto diuerſas ſententias in vnā confuderit.
Longè enim aliud eſt quod Moſes inquit, Deum ha-
bitaſſe cum Iſraele quadraginta annis quàm, quòd ei-
dem verbum non defuerit: hoc enim ex illo ſequitur, vt
poſtea dicemus. Sed huius rei ſpeculationem exactiorè
illis relinquo qui huius Paraphraſtis ſententias quaſi
oracula colunt, cum tamen plerumque à germana ſan-
ctæ ſcripturæ ſententia diſcedat. Nā, quòd, aliquando
Chriſtiana Theologia dogmata olfaciat, nō eſt magnū
argumētū, eundem ſpiritu prophetico fuiſſe colluſtratū
quòd & olim de ſeptuaginta illis interpretibus quidā
cōtendere. Nā & ex perfidis Rabiniſ, qui tamen chri-
ſtiana fidei ſunt acerrimi hoſtes, nonnunquam in no-
ſtrorum dogmatum protectionem quēdam accipimus.
Potius igitur, ſiue quando Rabini, ſiue quando Chal-
daus Paraphraſtes in euangelici cuiuſpiam dogmatis
ſententiam incidit, exiſtimandum eſt, id ex communi
Hebraorū ſentētia à maioribus accepta, quàm ex ſpūs
ſancti illuſtratione fluxiſſe, cum alias ſanctæ ſcripturæ
ſenſum germanum non attingant. Quod ſi quis dicat
Ionatham non interpretis ſed Paraphraſtis officio fun-
gi

gi cuius non ſit verba verbis reddere, non morabor.

Septuaginta interpretes eadem verba ita Gracè re-
diderunt Κύριος ὁ θεός ἡμῶν ἐυλόγησέ σε ἐν παντί ἐργῶ τῶν
χειρῶν σου διάγνῶμι πῶς διήλθες τὴν ἔρημον τὴν μεγάλην καὶ
τὴν φεβερὰν ταύτην ἰδοὺ τεσσαράκοντα ἔτη κύριος ὁ θεός σου
μετὰ σοῦ οὐκ ἔπαυθη ἰσχυροῦς ἔσθαι. Gracas literas ignoran-
tibus. Kyrios hotheos himon elogisse ſe en bandi ergo
ton chiron ſu diagnothi pos dylthes tin eremodin me
gallin. Ke tin phoberan taſtin. idu teſſaraconda eti Ky-
rios ho theos ſu meta ſuuc epedeithis rhimathos. i. Do-
minus Deus veſter benedixit te in omni opere manuū
tuarum, cognoſce quomodo tranſieris per heremū hanc
magnam & terribilem, ecce quadraginta annis Do-
minus Deus tuus iuxta te & non indigniſti verbo.
Quæ per omnia Hebraico textui affirmarentur, niſi
quòd in prima clauſula Deus veſter, pro, Deus tuus
vertit, quòd tamen ad Germanum ſenſum habendum
parūm facere videtur. In ſecunda tamen punctuatio-
nis deſſectu quæ tunc nondum erat inuenta, ſicut in a-
lijs multis locis deſſeciſſe videntur, dum præteritum im-
peratiuum verbum crediderunt, ac perinde ſententiam
peruerterunt. Aliud eſt enim, Nouit dominus profe-
ctionem tuam: quod, ſi verbi Hebraici poſitionem re-
ctè aduerſiſſent, reddere debuiffent: aliud verò, Cogno-
ſce tu ò Iſraël profectionē tuam quod illi reddiderunt.
Itaque omnium optime Hieronymus traduxiſſe vi-
detur in hanc formam, Dominus Deus tuus benedixit

te in

te in omni opere manuum tuarum, nouit iter tuum, quo modo transferis solitudinem hanc magnam per quadraginta annos habitans tecum dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit. In quibus nihil est, ab Hebraici textus germana intelligentia detractum.

Ergo quo iam huius loci interpretationem aggrediar videre est, quam frequenter sancta scriptura huic phrasi loquendi assuescat, ut Deum non tantum Israelitico populo, sed & quibusdam iustis & sibi charis benedixisse dicatur, & rursus mortales Deo benedictiones re fundere doceat. Quem profecto tropum loquendi nec in Cicerone neque in ceteris Romanae linguae cultoribus videas. Benedixit inquit tibi dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum, & c. quae verba, si his, quae immediate assuuntur respondeant, si benedictionem, quam communi sensu intelligimus accipias, id est honorum aliquorum spiritalium infusionem, ineptissimum sensum habebis profecto. Praecepit Deus ne Idumaeos Israeliticus exercitus infestaret, & ne etiam vitae necessaria ab eisdem violenter auferret. Cibos, inquit, emetis ab eis pecunia & comedetis: aquam emptam haurietis & bibetis, ac protinus subditur ratio: quonia scilicet dominus Deus tuus benedixit te in omnibus operibus manuum tuarum, quanuis Hieronymus causalem omiserit, aut scriptorum incuria fuerit praetermissa. Famis autem aut sitis detrimenta spiritalis benedictio non satiat. Quid enim ventri cum

mente

mente? Significatur ergo his verbis per diuinam benedictionem non spiritalis charismatis infusio, sed temporalium bonorum ad corporis vitam necessaria affluentia, qua gentem illam totis illis quadraginta annis, diuina magnificentia fuerat prosequuta, panem angelorum de caelo, & aquam de petra durissima tribuens, corporis vestimenta conseruans, & feris nationibus suppetatis ad terram patribus eorum repromissam deducens. Nam benedicere Deum aliquem, non esse aliud quam hac honorum temporalium abundantia eundem prosequi. S. Iob historia testatur, dum de illo Satanas Deo respondet: Operibus manuum eius benedixisti, & substantia eius creuit in terra. Nihil aliud est profecto Deum operibus manuum viri sancti benedixisse, quam substantiam eius. i. diuitias in terra creuisse. Eadem etiam ratione loquendi. 2. Regum. cap. 6. Vtitur scriptura, cum Deum domui Obededon Getai & omnem substantiam eius benedixisse recenset, quod. s. cum ingentibus diuitijs propter arcae praesentiam et hospitium ditauerit & quod eum rerum temporalium abundantia cummulauerit. Sed & huius libri cap. 7. cum proposito praemio ad legis obseruantiam Israeliticus populus inuitaretur, Si postquam audieris, inquit, haec iudicia & custodieris ea et feceris: custodiet dominus Deus tuus pactum tibi & misericordiam quam iurauit patribus tuis, & diliget, te & multiplicabit, benedicetque tibi & fructui ventris tui & fructui terrae tuae, frumento tuo atque vin-

B dimia

Benedictio inueterite stameto quid significet.

Psal. 77. Deu. 6.

Iob. 1.

demia, oleo, & armentis, gregibus, ouium tuarum su-
 per terram pro qua iurauit patribus tuis, ut daret eam
 tibi, benedictus eris inter omnes populos. Abundan-
 tiam igitur eorum qua agenda vite sunt necessaria &
 faelicem quandam fortunatamque affluentiam toto illo
 veteri testamento benedictio significat. Vnde Hiero-
 nymus in cōmentarijs, epistola ad Galatas, in illa ver-
 ba, neque circuncisio neque praputium, &c. Circunci-
 sionis iniuria tunc tantum, ut cetera quoque legis va-
 luit, cum carnales benedictiones legē seruantibus spon-
 debantur, quod. s. benedicti essent in agro, plena ha-
 berent horrea, & multa alia qua in repromissionibus
 continētur. Tale est etiam quod Gene. 25. capit. de Isac
 legitur Deum illi benedixisse post obitum patris sui,
 quod nimirum res temporaria secundē & ex voto illi
 cesserint, & diuitiarum magnificentia fuerit ampli-
 ficatus. Domui quoque Putiphar Aegyptij dominus
 eodem pacto benedixisse refertur. Benedixit domi-
 nus (ait) domui Aegyptij propter Ioseph tam in aedi-
 bus, quam in agris cūctam eius substantiam. Ex eius-
 dē phraseos obseruatione, quorsum Deus vel orbis pri-
 mordio, vel post vniuersalem inundationem humani
 generis autores aut instauratores benedixerit aperte
 colligitur, dum vtroque loco dicitur benedixit eis &
 ait, Crescite & multiplicamini & replete terram. Nō
 quod seuisimi hostes pudicitie Lutherani contendūt,
 quod vniuersis mortalibus his verbis carnis coniun-
 ctionis

Cap. 5.

Gen. 33.

Gen. 1.
&c. 9.

ctionis necessitatē indixerit, sed quod vel generadi vir-
 tutem & appetitum infeminauerit, aut quod eos mul-
 tiplicare & augere per generationem decreuerit. Nā
 quod his locis non inferatur, carnalis comixtionis im-
 perium, ex his benedictionibus, qua simili verborum
 forma brutis animantibus impartitur Deus, aperte de-
 monstratur, nam de piscibus & auibus eodem pacto
 quo de hominibus, loquitur Moses. Benedixit, inquit,
 eis Deus & ait, Crescite & multiplicamini & reple-
 re terram: auesque multiplicentur super terram. Quis
 autem sana mente sibi persuadeat brutis animanti-
 bus generandi preceptum aut legem impositam? Non
 itaque aliud his locis Moses intelligit, quam natura-
 lem quandam generandi virtutem nuper animantibus
 conditis fuisse implantatam, qua in immensum auerē-
 tur & excreferent.

Gene. 1.

Atque eadem significatione accipiendum est, quo-
 ties in sancta scriptura è conuerso homines aut ange-
 los Deū benedicere deprehendimus. Significat (inquā)
 Deum augere aut amplificare. Non quod vlla crea-
 tura in finis suapte natura substantiā, queat cuiuspiā
 perfectionis incrementum inducere. Sed quod ita ha-
 beat desiderium sanctorum, quod si fieri posset, velint
 Deo maiorem bonorum cūmulum donare. Hoc est pro-
 fecto quod sacratissima virgo Deo plena canebat. Ma-
 gnificat anima mea dominū, &c. Aut quod olim Da-
 uit spiritu sancto repletus admagnificandum Deum in

Quid si
 gnificet
 in facta
 scripura
 homi-
 nibus.
 Deum
 benedi-
 cere.

Luc. 1.

B ij uitabar

Psal. 33. *uitabat magnificate dominum mecum. Et eodem con-*
tendunt cetera quæ huius formæ in sancta scriptura
frequentes loquutiones reperiuntur. Non quòd Deus
qui cunctorum bonorū est profundissima abyssus, ma-
ior sanctorū laude reddatur, maior enim omni lau-
de: Quis enim magnificauit eum sicut est ab initio. Sed
 Ecc. 43. *quòd amor iustorum eadem ratione diuinitatem me-*
tiatur, qua cetera quæcunque qua dilectione profe-
quitur, quibus cuncta bona desiderat. Hoc est enim
amare, bonum cuiuspiam velle authore Aristotile. Er-
 8. Ethic. *go cum audis in sancta scriptura Deum benedici, ex-*
altari, magnificari, &c. Nihil aliud mentem subeat
quàm incrementum augmentum & amplificatio ma-
iestatis, bonitatis, sapientia, &c. quæ si res patere-
tur, adhuc maiora quam habet. adesse Deo sancti de
 Quid sit *fiderant. Cum verò nomen eius benedici, exaltari, ma-*
 nomen *gnificari, &c. audis, non illarum perfectionum auctio*
 Dei be- *nem, sed diuini imperij propagationem intellige. No-*
 nedice- *men enim fama est, quam sancti per vniuersum orbem*
 re. *propagari desiderant, iuxta illud: Cognoscant quia no-*
 Psal. 38. *men tibi dominus tu solus altissimus in omni terra &*
 Psal. 47 *illud, Secundum nomen tuum ita & laus tua in fines*
terra. Tanto verò nonnunquam amoris aestu sancti fer-
uescunt, vt si rerum natura pateretur rationis & sen-
sus expertes creaturas hoc sancto desiderio aestuare per-
cuperent. Neque enim aliorum illa ratione carètiuum
creaturarum ad deum benedicendum inuitationes fe-
runtur,

runtur, Benedicite sol & luna domino, benedicite stel-
la cæli domino, benedicite imber & ros domino, & cæ-
 tera huius formæ locutiones, quàm quòd sancti velint
 etiam per minimas creaturas diuinas perfectiones au-
 gescere si res pateretur. Hæc autem loquendi ratio ab
 Hebraici verbi בָּרַךְ barach significatione descendit,
 quæ & multiplicare, augere, amplificare significat. Vn-
 de facile habetur quare ius obeundi paternam hære-
 ditatem apud veteres illos benedictio vocaretur quòd
 nimirum præ cæteris fratribus auferentur diuitijs cum
 ad eos præcipua hereditatis portio deuolueretur. Det
 tibi inquit Isac Iacob filio suo, Deus de rore cæli & de
 pinguedine terræ benedictionem, abundantiam frumẽ-
 ti, vini & olei, & seruiant tibi populi & adorèt te tri-
 bus esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur an-
 te te filij matris tuæ. Quæ omnia temporariam quan-
 dam & fluxam felicitatis imaginem preferunt. Col-
 ligitur deinde qua ratione in semine Abrahæ essent,
 omnes gentes benedicenda, quòd. s. essemus in Christo
 augendi & multiplici bonorū cummulo multiplican-
 di. Nisi quod non erant futura carnalia, sed spiritua-
 lia, pro status euangelici perfectione. Vnde Paulus A-
 postolus. Benedictus, inquit, Deus & pater Dñi no-
 stri Iesu Christi qui benedixit nos in omni benedictio-
 ne spirituali in cælestibus in Christo.

In quæ verba Hieronymus, benedixit nos, inquit,
 non in terrenis benedictionibus sed in spiritualibus.

Sunt

Dan. 13.

Quare
 iusobeu
 di hære-
 ditatem
 benedi-
 ctio vo-
 caretur
 Ge. 27.

Ge. 22.

Eph. i.

Hiero. i
 cōmen.
 epistole
 ad Eph.

Sunt quippe terrenæ benedictiones habere quempiam
liberos, affluere opibus, honore, sanitate, &c. Et sub-
inde. Benedictiones illas quæ in Leuitico precepta ser-
uantibus promittuntur, verbi causa, externis gentibus
fœnerari, plena esse horrea frumentis, benedictos in a-
gris, & cætera his similia in prophetis, non videmus
Heb. 11. expletas hominibus qui in melothis, & in pellibus ca-
prinis, errauerunt, in egestate, in angustia, in desertis
montibus in speluncis, in cauernis petrarum impetus
persecutorum declinantes. Spiritualiter ergo accipien-
da sunt omnia & quasi spiritalia non in terrenis lo-
cis sed in cælestibus expectanda. Hactenus Hierony-
mus. Spiritualis igitur non carnalis est illa rerum af-
fluentia quæ ex nostri in Christo benedictione deriva-
tur. Nam esse quasdam spirituales diuitias idem A-
postolus ostēdit dum inquit, Gratias ago Deo meo sem-
per pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in chri-
sto Iesu quia in omnibus diuites facti estis in illo in om-
ni verbo & in omni scientia sicut testimonium Chri-
sti confirmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in
vlla gratia. Et alibi Deum & patrem domini nostri
Iesu Christi obsecrabat, vt quibusdam daret spiritum sa-
pientie & reuelationis in agnitionem eius illuminatos
oculos cordis sui, vt scirent que esset spes vocationis il-
lorum, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in san-
ctis. Sunt profecto euangelici status diuitiæ, illæ, quas
idem Apostolus ad Corinth. enarrat, Diuisiones gra-
tiarum

tiarum sunt, idem autem spiritus. & diuisiones mini-
strationum sunt, idem autem dominus: & diuisiones
operationum sunt, idem autem Deus. Vnicuique da-
tur manifestatio spiritus ad vtilitatē. Alij quidem per
spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scien-
tiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spi-
ritu, alij genera linguarum & cætera, quæ ibi enume-
rantur. Hæc sunt profecto euangelicæ diuitiæ quas ex
diuina benedictione in Christo tributa suscepimus, per
quas ditescimus, & aulescimus mirum in modum euā-
gelici testamenti cultores. Sunt & illæ eiusdem status
certæ diuitiæ, quas scribit ad Galath. Idem Aposto-
lus: Fructus autem spiritus sunt charitas, gaudiū, pax,
patientia, benignitas, longanimitas, māsueto, fides,
modestia, continentia, castitas. Tales sunt abundantis-
simæ diuitiæ, quibus ex benedictione illa hoc felicissi-
mo tēpore locupletamur. Nam quas per eundem chri-
stum speramus, nos consequuturos, neque oculus vidit,
neque auris audiuit, neque in cor hominis ascēderunt.
Erant itaque in Christo vniuersæ gentes benedicendæ
quoniam bonorum spiritaliū ingenti affluentia erant
locupletandæ & augendæ.

Eodem pacto accipiendum est, quoties homini ab ho-
mine benedictio deffertur, vt quod Melchisedech A-
brahæ benedixerit, aut quod de quibusdam. S. Prophe-
ta pronuntiat, ore suo benedicebant, & corde suo ma-
ledicebant. Nam licet hominem homini benedicere nō
sit

1. Corin-
th. 12.

Ad Ga-
thas. 5.

1. Cor. 2

Ge. 41.
Psal. 61.

fit aliud, quàm eundem salutare. Hoc tamen salutatio-
nis genus non est aliud quàm quedam in precatio bonorū
& fausta fortuna.

Est & quartus huius verbi vsus in sancta scriptu-
ra cum. s. res inanimata benedictione perfunduntur,
vel à Deo vel ab hominibus, vt quod Ge. 2. ca. dicitur
Deum diei septima benedixisse. Tunc autem non in-
crementum aut bonorum affluentiam cuius non sunt,
capaces res illę, significat, sed sanctimonie quandā in-
fusionem, quod. s. eam diem quadam speciali sanctimo-
nia præsignem. Deus esse voluerit. Qua ratione bene-
dictum panem aut aquam, &c. ecclesiastica consuetu-
dine dicimus, quod habeant specialem quandam san-
ctitatis rationem. Rectè igitur in hoc sensu præceden-
tibus verbis, quibus res necessarias ab Idumais Israeli-
ticus populus capere vetabatur respondent priora no-
stra lectionis verba quibus dicitur. Benedixit te domi-
nus Deus tuus in omni opere & cet. Quasi prohibitio-
nis rationem redderet Moses, Cum lauit te, inquit,
Deus tuus multiplici beneficio, tribuit tibi quacūque
sunt necessaria ad vite functionē, noli igitur in alienas
diuitias grassari, præsertim illorū quibus es sanguinis
cōmercio cōpulatus. ¶ Sed illud nō est, silentio tegēdū
quod duo diuina nomina iunxerit Moses dicēs, Bene-
dixit te dominus Deus tuus, &c. Prius nomen à ver-
bo substantiuo יהוה deducitur. Est autē ineffabile il-
lud quod Græcè τετραγραμματων, vocant, quod con-
stet

Quor
fū Moses
duo no-
mina iū-
xerit.

stet quatuor literis, quod Hieronymus dominus vertit,
Hebræi vero non audentes proferre, loco illius Ado-
nai proferunt. Significat autem quod latini, ens, voca-
rent si à verbo substantiuo participium deduceretur,
aut quod Græci τὸ ὄν, ipsum ens vocitant. Ad quā si-
gnificationem Deus videbatur alludere, cum ad libe-
randum ab Aegyptiaca seruitute Israeliticum popu-
lum Mosem mittēs dicebat, Dices filijs Israel, Qui est
misit me ad vos. Vbi verbum substantiuum, à quo no-
men Iehoua deducitur, ponitur. Licet autem propria
existentiæ perennitatē designet, significat tamen in gē-
tem illū infinitarum diuinarū perfectionum acervum,
quas theologi essentielles apellant, nullam erga res à se
cōditas innuens prouidentia rationem. Nam eadem
apellatione & prophani autores, quorum tamē quidā
prouidentia sustulerūt, expressere, τὸ ὄν. i. ipsum existēs
aut ens illū vocātes. Ita apellat Arist. lib. 11. & 12. de
prima philosophia, & Plato dialogo de natura: vbi re-
rū diuisionē aggressus, aliud esse (inquit) ipsum ens, a-
liud verò id quod fit. Et, cum sub secūda diuisionis par-
te omnia corporea & sēsibilia intelligat, necessario sub
priori, quod est penitus à materia seiunctū. i. Deū in-
telligit. Nā angelicas substātiās, quas ille minores deos
& demonas vocat, materiales & factas, et suapte per-
inde natura solubiles. statuit. Et vtcunq; fit insigni illo
dialogo, quē apellauit Parmenidē, quēq; περὶ τοῦ ὄντος
i. de ipso ente inscripsit, vbi theologū agit, hoc nomine
C de

de Deo ipso disputat, atq; ex eius significatione, & natura totam sibi disputationem statuit. Apellarunt autem vtriusq; sapientia prophana & diuina cultores, ita Deum, q̄ hac potissimū perfectione sit mortalibus admirabilis. Vnde quasi excellētissimo epitheto eundem ἀθάνατος .i. immortalē vocabant, quasi necessario existentem. Quæ vero de hoc nomine quidam fuerint cōmenti, q̄ personarum trinitatē includeret, & q̄ esset idem cum sacratissimo seruatoris nomine Iesu, ex ignorantia Hebraica literatura fluxisse videtur, quā quidam sibi q̄ alphabetum attigerint, arrogant, & nonnunq̄, in suæ eruditionis proditorem, dum ea quibus admirabiles haberi desiderant, mere esse nugæ deprehenduntur. Est itaq; non prouidentia, sed natura nomen .i. (vt scholasticè loquar nomen absolutū, q̄ ad creaturas respectū non cōnotet, quale apud Græcos θεός, aut apud Latinos, Deus. Que nomina etiam sic cum Democrito Epicuro aut, Zenone prouidentiam insitiaremur: adhuc supræma illi nature conuenient, quamuis Græcū nomē θεός, ἀτὸν δὲ θεῖον .i. à currendo, q̄ primi apud idolatras gentes astra per cælum currentia diuinos honores acceperint, Eusebio autore descendat: sed per cælum vagari nullā prouidentia insinuat.

De secundo nomine multa dicimus, lib. de precepto & dispensatione, qui liber Deo propitio nobis est in lucem statim edendus. Sed quod ad rē attinet, Elohim, q̄ Hieronymus trāstulit, Deus, nomē est nō nature, sed

sed prouidentia. Vnde rerum initio, cum Deus mundum ab aeterno conceptum, exprimeret, non Iehoua, sed Elohim, appellatur à Mose, cum inquit, In principio creauit Deus cælum & terram. Tunc .n. cæpit prouidentia exercere, cum res quibus prouideret, habere incepit. Significat autem iudicē, aut magistratum, quorum est profecto prudentia, quam in Deo ipso prouidentiam vocamus, qua ratione & nonnunq̄, in sancta scriptura ad magnates & celebres viros qui rebus publicis solēt præesse, deflectitur. Vnde David, Deus (inquit) stetit in synagoga Deorum, in medio autē deos diiudicās. Et subinde in eosdem deos .i. iudices inuectus, Vsq; quo (inquit) iudicatis iniquitatem & facies peccatorum sumitis? iudicate pupillo & egeno, & pauperem iustificate. Et ne susceptæ dignitatis fastus ab illis memoriam mortis abigeret, quo minus rectè iustitiam exequerentur, quod plerunq; magnis viris solet euenire, dum arroganti elatione sese mortales obliuiscuntur, protinus propria fragilitatis memoriam refricat, Ego dixi dii estis, & filij excelsi omnes: vos autē sicut homines moriemini, & sicut vnus de Principibus cadetis. Ac si diceret. Video quidem vos in excelsum iudicij fastigium diuino munere fuisse subuectos: sed memētotē vos esse mortales, & in supremi iudicij manus post mortem aliquando venturos. In lege etiam ad Elohim, id est, ad iudicem qui esset illo anno, grauiore causa defferri iubentur. Et demum illius

C ij testamenti.

Gene. 1.

Psal. 82.

Exo. 17.

Lib. 1. d̄
pre. Euā
geli.

De secū
do nomi
ne Dei.

EXO. 22 testamenti cultores, ne Elohim. i. dijs aut iudicibus ma-
ledicerent precipiebantur. Cōmunicatur autem iudici-
bus & magistratibus hoc nomen, q̄ huiusmodi homi-
nes diuinum quid praeferant, dum moris ac vitæ, quod
est peculiare diuinæ potētiae insigne, imperium exercēt,
et q̄ tantum diuinæ prouidentiae sapienti dulcedine fie-
ri videatur tot mortales suapte natura & genio libe-
ros, et (quod est humanæ naturæ ingenium) seruituti relu-
ctates vnius hominis aliquādo tyrānico imperio pare-
re. Vnde reges suos nationes quædē, quasi numina co-
lunt. Et olim apud eas quoq; res publicas quæ prudētes
habebantur, diuinos honores accipiebant, vnde bona
pars idololatriæ & falsæ religionis descendit. Sed &
Plato dialogo quarto de legibus, iudices quasi numina
quædam humana natura altiora venerandos suadens
Deum docet olim rem pastoritiā egisse circa morta-
les, quam rationem viuendi felicissimam vocat. Cu-
ius tamen imaginem & ea, qua nunc vitimur, refe-
rat, q̄ fuerint ab ipso deo altiores quidam humana fra-
gilitate viri hominibus gubernandis præfecti: Mul-
tò ante (inquit) habitatores vrbium ò Clinia, princi-
patus quidam & gubernatio sub Saturno valde fœlix
fuisse dicitur, cuius imitationē quandā habet ea, qua
nūc ab optimatibus gubernatur. Et postea. Cum intelli-
geret Saturnus quemadmodū ipsi narrauimus, nullam
hominis naturā res humanas ita gubernare posse, vt si
omnibus arbitrato suo dominetur lasciuiori superbia
iniusti-

iniustitiaq; non repleatur, cum hac, inquam, non igno-
raret, non homines sed diuiniore præstantiorisq; gene-
ris demones ciuitatibus nostris reges principesq; præ-
fecit, Quod nunc nos in ouium gregibus aliarumq; ci-
curum animantium armentis facimus. Non enim bo-
bus boues, nec capris capras præficimus: sed nos ipsi ge-
nus melius dominamur. Similiter Deus homines amās
genus demonum generi nostro præstantius nobis præ-
fecit, quod summa tam sua q̄; nostra facilitate nostrarum
rerum curam habeat, pacemq; & pudicitiam, li-
bertatē, iustitiā copiam præbens. Hactenus Plato. Est
& huius apellationis altera ratio, quod re vera iudi-
cium rectē exercere, & nullis affectibus infractum ius-
titiæ rigorem semper tenere, non humanū sed prorsus
diuinum opus videatur. Ille profecto (vt dicebat The-
mistiū) rectē principatus & imperij nomen gerere vide-
tur, qui auro inexpugnabilis, rationi facilis captus sit,
libertatem exerceat, magnanimitatem laudet, et cōtu-
maciam sibi vicinam caueat. Vnde Thebis iudicum
imagines absq; manibus, sumis oculis cōniuentibus vise-
bantur, quod. s. iustitiā quam iudices & magistratus
exercent, nec muneribus capiatur, nec hominum vul-
tu flectatur. Iudices igitur aut Principes in sancta scri-
ptura dij apellantur, q̄ iustitiæ officium rectē exerceri
non sit fragilitatis humanæ, sed prorsus diuinæ virtu-
tis. Non nihil etiam ad eandem apellationem condu-
cit, quod vniuersi magistratus imperij diuini vices exer-
ceant,

Prou. 8.
1. Paral.
29.

ceant, iuxta illud. Per me reges regnant & principes imperant, & legum conditores iuxta decernunt. Dei enim propria est potentia, regnum & imperium: immortales autem quasi in quosdam proreges aut vicarios ex diuina commissione deriuatur. Vicarios vero eodem nomine quo principes, quorum vices gerunt, appellare consuescimus. Et cur non dñi quidam vocetur, quibus dicitur. Quodcumq; solueritis super terram erit solutum et in caelis, & quodcumq; ligaueritis erit ligatum, An non hac plane diuina potestas? Est itaq; nomen Elohim, quod hoc loco, sicut & alijs, Deum, Hieronymus trāstulit, nomē nō naturæ, sed prouidentię qua mūdo à se cōdito prospicit Deus, nomē in q̄; quod ad creaturas respectū insinuet quale dñs aut saluator. Et forsam rectē hac rationē horū duorū nominum combinationem exprimeremus, Deus dñs tuus benedixit tibi, vt nomē absolutū & naturæ, Deus, nomini absoluto & itē naturæ Iehoua, nomini vero respectiuo Elohim. Dñs, nomē item respectus respōderet. Hieronymus vero, quod optimi interpretes semper facere solent, nō tam nominū ordinem q̄; orationis sensum expressit. Nō enim rectē latine sonaret Deus dominus tuus, cum tamen rectē sonet Dominus Deus tuus. Est autē hoc tropo loquendi nihil in sancta scriptura frequentius, vt non vno nomine, sed his duobus, Deus aut praecepisse, aut loquutus fuisse, aut aliquid egisse dicatur. Cuius exēpla quoniā rei frequentia & tēporis angustia nō patitur non subiiciemus

Math.
18.

ciemus. Satis est ad sancta scriptura capū remittere.

Admonetur autē hac duorū nominū cōbinatione Israeliticus populus, nō tantū Deū esse perfectionū abissum immēsam & totius bonitatis fontē perēnem, atq; adeo sumē diligēdū & colendū, sed rebus quoq; humanis preesse & earū habere rationē, cōtra illos qui supra cæli cardines Deū ambulare, et nostra nō curare sacri lege mēiebatur. Quā duplicē rē diuinus ille legis lator vbiq; locorū populo illi suadere nititur. Nā ad suadendā diuinā potentiā dirigitur, quæcumq; de prima rerū Genesi docuit, ad prouidentia vero in torquendā quæcumq; de sanctis patribus docet, cōtendūt, quod cūctis rerū publicarū prudentibus cōditoribus solēne fuisse libro illo de precepto, & dispēsatione docemus. Insinuat ergo dū diuinā illā naturā Iehoua appellat, cūctarū essentiarū & entium qua emēdicatā, & quasi mutuo acceptā habēt existētiā perfectissimū esse, docet inquā in eadē infinitū bonorū cumulū residere, quo ad obediendū eius mandatis mortales alliciat. Solemus enim plerunq; illius contēnere imperia qui pari fragilitati nobiscū tenetur. Vnde fæmina libentius viri, q̄; alterius fæminæ præcepta sectatur, & ignorantes sapientū, q̄; ignorantū potius mādatis ob tēperant. Et demū si inter mortales immortales angeli versarentur aperte potius illis, q̄; nostri similibus mortalibus hominibus pareremus, imo illorum aperte detrectarem imperium. Ita habet humanum ingenium vt nunq; sibi simili

Quid
hac du-
plici no-
minū cō-
binatione
in sā-
cta scri-
ptura si-
gnificet.
Iob. 22.

C iij cedat.

Pruden-
tia legis
latoris di
uini.

Mos fan-
ctę scri-
pturę.

EXO. 20.

Gen. 17.

Geni. 35.

cedat. Prudenter igitur nomen aeternæ & immortalis naturæ, aliquid præcepturus præterdit, ut libenter immortalis & non mortalis imperia suscipiant: prudētius nomen providentiæ coniungit, ut qui non amore in exequendis mandatis aguntur timore tandem iudicis com-pescantur. Nam & hoc eloquentiæ pigmento uti solēt literę sanctę, ut Deo, quoties aliquid præmittit aut præcipit acommoda epitheta tribuat. Cum enim aliquādo decem præcepta daturus, velet in eorum obedientiam Israeliticę plebis animos fletere, Ego (inquit) sum dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti de domo servitutis, quasi his verbis exhibita beneficia proponēdo, se populo amabilem redderet. Et ne quidam tam essent duro cordo, ut amoris incētiua respuerēt, subdit statim. Ego sum dominus Deus tuus, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in milia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Abrahæ etiam (cum quæ promitteret Deus humano iudicio impossibilia viderentur) ut omnem impossibilitatis suspitionem excluderet, ego (inquit) Deus omnipotens, cresce & multiplicare, gentes & populi nationū exte erunt, reges de lumbis tuis egredientur, terramq; quam dedi Abraham & Isaac dabo tibi & generi tuo post te. Apud Esaiã, ne impossibile videretur quod Deus promittebat, se post tot excidijs Israeliticę gentis confratas vires è Babylonica servitute

uitute educturum populum suum, post promissionem quasi omnem impossibilitatem excludens protinus subdit. Quis mensus est pugillo aquas & celos palmo pōderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ & libravit in pondere montes & colles in statera? &c. Sed in eam sententiam exempla subijcere, quæ in sancta scriptura sunt frequentissima non est opus. Solent itaq; sancta litera nonnunq; eloquentiæ servare præcepta, ut eos cum quibus res agitur flectant, atq; adeo sapientissimus Moses hic & in alijs innumeris locis iudicij nomē naturæ nomini annectit, quo eos vel præmio pelliciat vel pœna deterreat, quorum utrumq; à providentiæ quam illud nomen importat ratione descendit. Iudicis enim est & benè acta præmio prosequi & malefacta pœna mulctare.

Sed quid est quod tam hic q; alijs locis his nominibus pronamē annectit? Benedixit (inquit) te dominus Deus tuus. &c. Innuit profecto sanctus Propheta eã spetialem providentiæ rationem quam circa populum illum Deus semper servavit. Nam cum non tantum Deus esset Iudeorum, sed gentium quas etiam creavit, & plantavit peculiarem tamen illius populi curam gerebat & peculiari amore fuit eum semper prosequutus peculiari epitheto Deum Israel se semper appellās. Unde Petrus Apostolus ad eos scribens, Vos estis, inquit, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta populus acquisitionis. Et in hoc libro cum mandata, leges et

Esa. 40.

Quare
his no-
minib⁹
pnomē
addatur

Rom. 3.
Psal. 43

1. Pe. 2.

C v ceremo-

Deut. 4. ceremonias diuinas, ppter sūcepta diuinitus beneficia
 Moses eidē populo seruāda suaderet, Hęc est, inquit,
 vestra sapientia, & intellectus corā populis, vt audiē
 res vniuersi pcepta hęc dicāt, En populus sapiēs &
 intelligens gens magna, neq; est alia natio tā grandis
 quę habeat deos apropinquātes, sibi sicut Deus noster
 adest cūctis obsecrationibus nostris. Quę enim est alia
 gens sic inclita quę habeat, ceremonias iustaq; iudicia,
 & vniuersam legē quam ego proponā hodie ante ocu-
 los tuos? Inter causas etiā propter quas ad laudandum
 Deum à sancto Propheta inuitatur, ea cōmemoratur
 pcepta, quōd verbum suū Iacob annūtiauerit, et ius-
 titias et iudicia sua Israel. Quoniā nō fecit taliter om-
 ni nationi, & iudicia sua nō manifestauit eis. Erat p-
 fecto magna Israelitici populi excelētia nō à Licurgo,
 nō à Solone, nō à Dracone, nō à Carōda, nō à Pōpilio,
 nō à Zoroaste, nō à Mercurio, nō à Minoe Radamā
 to & ceteris mortalibus legū cōditoribus qui rectū nō
 satis clarē discernere poterāt, leges & pcepta viuēdi
 accepisse, illiq; diuinā mūdi & aliarū rerū creatio fuis-
 se reuelata. Nā & hac parte Apostolus Paulus eun-
 dē populum ceteros anteire mortales negare non ausit.
 Rom. 3. Quid ergo (ait) amplius est Iudeo q̄; Gręco, aut quę
 vtilitas circūcisionis? multū quidem per omnē modum.
 Primū quidē, quia credita sunt illis eloquia Dei. Elo-
 quia Dei apellat, haud dubiū, Apostolus, leges ceremo-
 nias, iudicia, & in summa totā illā reipublicę rationē
 quam

quam Israelitico populo per Mosē tradiderit Deus,
 prophetiam deinde & mysteriorum diuinorum reuelationem.
 Et quis non sentiat amoris diuini manifestum
 iudiciū, legislatoris, regis, & iudicis in eo populo Deū
 ipsū Optimū Maximum personā egisse? Reliquos
 quidē mortales generali rātum prouidentia ratione re-
 gebat, huius autem fœlicissimi populi regiā, imo pater-
 nā, imo vxoriā, curā gerebat. Nam quid est illud qui
 regis Israel intende qui deducis velut ouem Ioseph. Et
 illud quo propheta Israelitas solatur? Letare & exulta
 in toto corde filia Hierusalē, abstulit dominus iudiciū
 tuum, auertit inimicos tuos, rex Israel dominus in me-
 dio tui, nō timebis malū vltra. Et demū quid est, quōd
 de eodem populo regem mortalem postulante ad Sa-
 muelem queritur Deus, Non te abiecerunt, sed me ne
 regnem super eos, nisi quod eius fœlicissimę gēris regē
 se fateretur, & eius regiā curam gereret. Nā quod pa-
 ternū in eos exerceret imperiū illa amoris plena verba
 restātur, puer Israel et dilexi eū ex Aegypto vocaui fi-
 liū meū. Et infra. Et ego quasi nutritus Ephraim por-
 tabā eos in brachijs meis, & nescierūt quod curarē eos.
 Quibus & illa similia vidētur audite me domus Ia-
 cob, & omne residuū domus Israel q̄ portamini à meo
 vterō, q̄ gestamini à mea vulua, vsq; ad senetā ego ipse
 & vsq; ad canos ego portabo, ego feci & ego ferā, ego
 portabo & saluabo. Illi etiam loquitur. S. Propheta
 à Babylonica seruitute prosperū illius reditum mente
 probe-

Psal. 79.

Soph. 3.

1. Reg. 8

Ose. 11.

Ibidem

Efai. 46

Esa. 40. prophetica prænuntians cum inquit. Sicut pastor gregē suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Et apud Malachiam, de paterno honore sibi fraudato cōqueritur. Filius honorat patrem, & seruus dominum suum, Si ergo ego pater sum, ubi est honor meus? Si dominus ego sum, ubi est timor meus? Sed hac loquendi ratione, nihil est in sancta scriptura celebrius. Porro arctiorē multo dilectionem, & eius gentis magis sollicitā curam ea verba demonstrant, quæ totum illum populum quasi uxorem, aut quasi dilectam sponsam amari & curari frequenter insignuant, Sponsabo te (inquit) mihi iniustitia, & in iudicio, & in misericordia, & miserationibus, Sponsabo te mihi in fide, & scientia, quia ego dominus. Et alibi sanctus Propheta in auribus Hierusalem clamare precipitur, Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ quædo sequuta est me in deserto, in terra quæ nō seminatur. Et huc omnia illa contēdunt quibus de Israelitica gente quasi de adultera per sanctos Prophetas conqueritur Deus. Vulgo (inquit) dicitur, Si dimiserit vir uxorem suam & recedens ab eo duxerit virū alterum, nunquid reuertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta & cōtaminata erit mulier illa. Tu autem fornicata est cum amatoribus multis, tamen reuerrere ad me dicit dominus, & ego suscipiam te dicit dominus. Et subinde, Frōs mulieris meretricis facta est tibi &

et noluisti erubescere, ergo saltem à modo voca me pater meus, dux virginittatis meæ tu es. Et statim. Cōuertimini filij reuentes, quia ego vir vester. Et apud alium. Iudicate (inquit) matrem vestram, quoniā ipsa non vxor mea, & ego non vir eius, auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberū suorum, ne forte spoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem natiuitatis suæ. Et subinde quasi ex populi persona. V. adā (ait) & reuertar ad virum meum priorem quia benè mihi erat, tunc magis q̄ nunc. Sunt & innumere eius formæ loquutiones in sancta scriptura, quæ illius gentis peccata, nihil aliud q̄; fornicationes & adulteria quædam apellent, nimirum quoniam populus ille, Deo à sanctis patribus per pactum & fidē sponsus, & per legē quasi perfecti matrimonij vinculo astrictus, ad Deos alienos declinādo, aut alterius generis peccata cōmittēdo, adulterium quodam videtur cōmittere. Rectè ergo sanctus Propheta, nō quacunq; ratione Deum, illis benedixisse cōmemorat, sed Deum suum, q. s. peculiari prouidentia, arctiori dilectione, maioriq; sollicitudine, q̄; erga ceteros mortales, erga eum populum Deus vteretur. Benedixit te (inquit) dominus Deus tuus, legislator & iudex, tuus demum dominus. Nam & frequenter hereditatem suam, & seruum suum eundem populum per sanctos prophetas appellat: Elegit (inquit) David seruum suū, & substulit eum de gregibus ouium de postfatantes accepit

accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hæ-
 reditatem suam. Et alibi Israelita laudare nomen do-
 mini præcipiuntur, quoniam elegerit sibi Iacob & Is-
 rael in possessionem sibi. Et de gentium prophana gra-
 satione, qua Dei populus cladem acceperat, idem san-
 ctus Propheta conqueritur, Deus, Venerunt gentes in
 hæreditatem tuam, polluerunt templum tuum, posue-
 runt Hierusalem in pomorum custodiam. Et idem est,
 qui gloriatur, totius Israelitica gentis induta persona,
 quæ alijs nationibus spræris in hæreditatē dei fuerint ele-
 cti. Et eodem contendit, quod eam gentē vineā electā
 à Deo plantatam, & veteris, & noui testamenti scri-
 ptura apellat, quod. (fuerit ille populus inter vniuer-
 sas Dei diuitias peculiaris hæreditas, & cuius maximè
 omnium Deus semper. rationem habuerit. Deus ergo
 tuus. i. cuius tu peculiari ratione hæreditas es, in quam
 suorū munerū abundatissimos imbres influxit, Qui te
 cū suus esset orbis terrarum, cum eius esset terra & ple-
 nitudo eius, tamē speciali quadā ratione percoluit, &
 speciali amoris dulcedine semper est profecutus. Qui
 (cū tñ illi ceteræ gentes deseruiat) te in seruū suū elegit,
 in quo gloriaretur. Cuius sacrificia tatum ex vniuerso
 orbe grata fuerūt. Hic inq; in omnibus operibus ma-
 nuū tuarū. i. in omnibus quæ siue cōtra feras & barba-
 ras nationes pugnādo, siue pace fruēdo, hucusq; aggres-
 sus es te benedixit. ¶ Cognouit iter tuū. &c. Quid
 obsecro mirū, si iter Israelitici populi cognouerit Deus,
 qui

qui nouit omnia volatilia cæli, qui nouit omnia anteq; Dan 13.
 fiāt, qui scit vniuersa, Cuius oculis cūcta sunt aperta, Baruc. 3.
 & vocat ea quæ nō sunt, tāq; ea quæ sunt. Latet igitur Ad He-
 br. 4.
 his verbis mysteriū: nec. n. alias p̄ Israeliticę gētis sola-
 tio iā tot annis itinerum labore vexatę, ea Moses locu-
 tus fuisset. Sūt. n. hæc verba cōsolatione plenissima, &
 quibus iustorū hominū labores, & lachrimas spiritus
 sanctus lenire assuevit. Nouit (inquit) alibi viā iusto-
 rum & iter impiorū peribit, Et alibi. Nouit dominus P̄sal. 1.
 dies immaculorum. Magnū deinde solatiū sanctus P̄sal. 36.
 Propheta sentiebat, dum vsq; ad internas animi late-
 bras, se diuinis oculis patere videbat. Dñe (inquit) p̄-
 basti me & cognouisti me, cognouisti sessionem meam, P̄sal. 39.
 & surrectionem meam, intellixisti cogitationes meas
 de longe. An non prauorū quoq; vias cognouit Deus.
 An non maculorum & sordidorum peccatorū dies
 quoq; cognouit? An non sessionē, surrectionē, & cogita-
 tiones peccatorum vidit à lōge? Insinuat ergo hoc tro-
 po loquēdi, quoties in sancta scriptura reperitur (repe-
 ritur autem frequētissimè) certa & specialissima qua-
 dā prouidentia ratio, quā Deus erga iustos & sibi cha-
 ros obseruat, quā inq; eorum operū & laborū rationē
 habet, ut in futurū remuneret, quā erga malos, & sibi
 iniustos non habet. Atq; hoc est, quouiam quidem iu-
 storum Deum nescire sanctus Propheta fatetur. Cum
 iter impiorum periturum non dubitet. Hoc etiam est
 quod immaculorum dies. i. vita tempus quod cum
 presentia

presenti vita fruerentur diuino maciparunt obsequio, dominum nouisse canebat, Quid autem sit Deum dies illorum nouisse, statim subiungit, & hereditas eorum in aeternum erit, non confundentur in tempore malo, et in die famis saturabuntur. Nihil ergo aliud est Deum presenti seculo iustorum vias, & vita tempus cognoscere, quod quo in futurum remuneret, eorum habere rationem. Nam quantum haec diuina cognitio proficiat, ex his quae statim de peccatoribus docet, habetur. Peccatores (inquit) peribunt, quasi dicat, iusti quidem quia cognoscuntur a Deo non confundentur, peccatores vero quia non cognoscuntur in aeternum peribunt. Ad quae etiam loquendi tropum Christus alludit, cum est ad eos qui sunt eterno supplicio damnandi post eorum iniustas querelas dicturus, Amen dico vobis non noui vos. Et de eisdem in Euangelica parabola, qua iustos vigilantibus virginibus, malos vero dormientibus comparat, pigris illis & somnolentis, et quae lampadas accensas conseruare noluerunt, Amen dico vobis nescio vos (inquit) Non quod eas, aut earum cessationem nesciret, propter quam sponsi caelestis indignae iudicabantur amplexibus, sed quod nulla malefactorum ratio habeatur, quae in futuro felicitatis statu, gloria mercedem accipiant, quamuis in diuinae iustitiae thesauro punienda seruentur. Nam contra quosdam, qui Deum malorum ignorare peccata credebant, Dixerunt (inquit) Non videbit dominus, nec intelliget Deus Iacob. Quibus statim. In-

telligite

Psal. 36.

Math. 7

Math. 25.

telligite insipientes in populo & stulti aliquando sapite, Qui plantauit aurem, non audiet: qui finxit oculum, non considerat: qui corripit gentes, non arguet, aut qui docet hominem scientiam? dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanae sunt. Magna igitur Israelitici populi consolatio erat, Deum cognouisse eius per desertum illud prolixos errores, labores, famem, sitim, scilicet calores, &c. quando ex ea cognitione non penitus perituros credebatur, sed pro eis repositam habebat coronam iustitiae: & temporalis in terra promissa, & aeterna post mortem mercedis, expectabat brauium, Alludit autem ad hunc locum, apud Oseam, cum bona tributa eidem populo exprobarer. Ego (inquit) cognoui te in deserto, in terra solitudinis, iuxta pascua sua impleti sunt, & saturati sunt, ceu ex diuina cognitione impletio, & pascua sequantur, & tamen quantum huic cognitioni fuerint ingrati subdit statim. Et leuauerunt cor suum. & obliui sunt mei. Queritur et alibi David de eadem ingratitude immanitate. Populus (inquit) quem non cognoui seruiuit mihi, filij tamen alieni mentiti sunt mihi, & claudicauerunt a semitis suis. Quasi diceret, gentes finitimae, in quibus nullum collocaui beneficium, me humane tractabant, & benigno hospitio susceperunt, ut Achis rex Gerh, mei autem ciues qui se filios Abraham, & Israel fastuosa iactantia compellant, mihi restituerunt quo minus obedientiam mihi diuino decreto directam rependerent. Est certe in hoc loco cognouisse be-

Osee. 13

Ibidem.

Psal. 17.

1. Regum

27.

D neficio

neficio affecisse. Nā & ceteras gentes simplici illa cognitione cognouerat. Quantum deinde beneficiū esset, hac diuina cognitio, idē populus Dei apud Esaiam de Deo cōquestus ostēdit. Quare (inquit) ieiunauimus, & nō aspexisti, humiliuimus animas nostras, & nescisti? An nō simplici illo cognitionis genere, quo vniuersa cognoscit, et eos afflixisse animas suas, & ieiunasse cognouerat? Quare ergo Deū illā nō cognouisse queruntur? Nimirū quoniā illorū operū in quibus nō Dei, sed propria volūtas inueniebatur, nō habuerat rationē, nec p̄ eis mercedē rependere statuerat. Hoc est (inquit) quare non respiciā, aut quare nescierim. i. quare pro his operibus, quibus vos ipsos iustificare contenditis mercedem non rependerim. In die ieiunij vestri inuenitur volūtas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutis pugno impie. Est igitur cognitio diuina in hac parte, nihil aliud quam sancti Prophete solatium, quo eos tot erūnis, & laboribus fractos erigit, & in meliorē sp̄em recipiendę terra promissę eorum animos reuocat, aut est (quod minus probo) receptorū beneficiorum refectio, ita vt cognouisse Deū profectioem aut iter illorū, nō sit aliud, q̄; eos toto illo tempore in deserto aluisse, & beneficijs affecisse, ad quem sensum verba quę ex Osea produximus alludere videbantur, Ego (inquit) cognoui te in deserto in terra solitudinis, iuxta pascua sua impleti sunt & saturati sunt. Et hunc sensum, verba quę precedunt,

cedunt, quibus Israelitas Idumeorū infestatione arcere Moses cōtendebat, quod Deus illis in deserto benedixisset. i. quod necessariam rerum affluentia tribuisset. Quasi per cognitionem nihil aliud intelligat, q̄; per benedictionē, ac si ita diceret. Cibos pecunia emes ab Idumeis, &c. Quare? Quoniam. s. dominus deus tuus, tibi sufficienter tribuit necessaria, nec existimes tibi inter Idumeos pecunias, quibus ad vitam corporis necessaria tibi compares, quando media illa solitudine Arabia cognouit iter tuum. i. rationem habuit tui, & te angelorum pane cibauit. Nec tñ hic sensus multū est ab illo priori diuersus, nisi q̄; ille in futuram retributionem oculum dirigit. Hic autem susceptorū beneficiorū est commemoratio.

Porro quod addit per desertū hoc magnū, & quod septuaginta addiderūt, terribile, facile est vtriq; sensui aptare. Secundum priorem sensum labores populi appetit, quorum grauitatem & magnitudinem Deus obliuioni non dedit, sed suo tempore tribuenda conseruet. Iuxta secundum, erectio est in bonam sp̄em. Nam qui eos in deserto pavit, potens erat profecto & inter Idumaeos eosdem sine illorum iniuria pascere. ¶ Quadraginta annis. Queri solet, qua nam prouidētiā ratione Deus populum, sibi alioqui charissimum tanto tempore in horrida illa solitudine, terra iam eorum patribus donata frustratum detinuerit, cum breuissimum esset à mari Rubro in terram promissionis

Gen. 4. 2 iter? Certe ex sacra historia cognoscimus, & Abraham, & filios Iacob in Aegyptum descendisse anona comparanda gratia. Quod si multum distarent, non in eam utique descendissent. Huius rei duplex a sancta scriptura redditur ratio, tum quod illarum gentium peccata nondum ad cumulum peruenissent, ut funditus diuino iudicio deleri cernerentur, & prius ad Abraham Deum loquutus fuerat. Generatione (inquit) quarta reuertentur huc, nedum enim iniquitates Amorreorum completæ sunt usque ad præsens tempus, tum quod portio illa Israelitici populi quæ vitulos adorando deliquerat, nondum fuisset absumpta. Iurauerat autem dominus, se non introducturum populum illum, quousque idololatres vniuersi consummerentur. Vnde hoc loco dicitur tempus autem quo ambulauimus de Cades Barne usque ad transitum Iareth, triginta & octo annorum fuit donec consummeretur omnis congregatio hominum bellatorum de castris, sicut iurauerat dominus, cuius manus fuit aduersos eos, ut interiret de castrorum medio. De quibus & alibi. Quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Vnde de Sina ad maris Rubri solitudinem quam iam peragrarant post peccatum remigrant. Quod si quis anfractus & itineris ambages, quibus quadraginta annis populus ille per Arabia desertum errauit, scire percipiat Hieronymum in epistola ad Marcellam legat, ubi vniuersas illius populi mansiones, & earum mysticas significationes enarrat. In his tamen, tui equitas, tui diuinae iustitiae rigor infractus est aspectandus

Gen. 15.

Psal. 94

aspectandus. Nec enim eius ira etiam in idolatras gentes est antea grassata, quæ cumulus peccatorum in iusta mensuram excresceret, neque ullis precibus fletu potuit eius iustitia, quo minus optatissima promissionis terra peccatores frustraret, etiam eos qui sibi charissimi alioqui fuerant, Nec enim Moses aut Aaron eam sunt ingressi, quorum uterque ante Iordanis transitum occidit. Sed ex his aominibus horrorem incutere, vel hanc iudicium instructionem exaggerare, non nostrum est, sed eorum qui ad plebem contionatorie loquuntur. ¶ Habitans tecum dominus Deus tuus. Non minus hæc loquendi ratio, quæ præcedens est in sancta scriptura visitata, mirabile vero est, quod magni ducat Moses Deum cum Israelitico populo habitasse, cum etiam cum peccatoribus habuerit. An non ipse est, qui cælum & terram implet? An non ipse est de quo Dauid canebat si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pænnas meas diluculo, & habitauero in extremis maris? Numquid non est excelsior cælo, profundior inferno, longior terra, & mensura eius latior mari? Cælum (inquit) apud Esaiam: sedes mea est, & terra, scabellum pedum meorum. Et absurdum putabat, Salomon eidem domum edificare qua inter mortales habitaret, Si (inquit) cælum & cæli cælorum eum capere non possunt, quantus ego sum ut possim ei edificare domum? Qui ergo cum eo populo habitare potuit, quomodo & cum alijs quoque nationibus habitauit? Quod si habitauit

Dij quoque

Hic. 25.

Psa. 138.

Iob. 11.

2. Para.
2. cap.

quoq; cum alijs quid magnum erat habitasse cum Hebraica natione, vt Moses quasi grande aliquid Deum cum eis habitasse, in eorum memoriã reducat? Sed sciẽdum est per diuinam habitationem, nihil aliud in sancta scriptura doceri, q̄; fœlicem quendam statum, & arridentem fortunam, qua secunde & prospere cuncta succedant, qua in q̄; omnia ex animi voto & sententia eueniãt, quam phrasim etiam cõmunis sermone vsurpamus, Dum cuipiã fœliciter rebus cedentibus Deũ cum illo esse dicimus, Si dominus mecum fuerit (dicebat Iacob in Mesopotamiã p̄fectus) & custodierit me in via hac qua ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescẽdũ, & vestimẽtũ ad induẽdũ, reuersusq; fuero prospere ad domũ patris mei erit mihi dñs in Deũ. &c. Hic dñm secũ esse vir sanctus, nihil aliud intelligit q̄; qua sequẽtib; verbis insinuat, dũ dicit, Et custodierit me in hac via, & dederit mihi panem, &c. i. dũ mihi cuncta ex animi sententia succedant. Nã per panẽ & vestimentum, omnes diuitias sanctarũ scripturarum cõsuetudine accipit. Alibi Moses Israelitarũ animos spe hostis superãdi foturus. Dñs (inquit) Deus tuus ambulat in medio castrorũ, vt eruat te & tradat tibi inimicos tuos. Viriliter agite (dicebat olim ad Israeliticum exercitũ rex Ozechias) Cõfortamini, & nolite timere, ne paueatis regẽ Assyriorũ, & vniuersam multitudinẽ que est cũ eo, plures. n. sunt nobiscũ q̄; cũ illo. Cũ illo. n. est brachium carneum, nobiscũ dñs Deus noster. Iosue

Caleb ad consternatam populi, multitudinem & obri-
nendã terrã promissę desperatione læguentem, Nolite,
te, aiunt, rebelles esse cõtra dñm, neq; timeatis populũ
terra huius, quia sicut panẽ possumus eos deuorare, re-
cessit ab eis omne presidũ, & dñs nobiscũ est, nolite ti-
mere. Sãcta vidua Iudith, de tyrãni obruncatione &
Babylonici exercitus profligatione iucũda. Aperite,
inquit, mihi portas, quia nobiscum dñs. Quibus locis
nihil aliud per diuinã habitationẽ accipias, quã secun-
dũ prosperũ & fortunatum rerum successũ. Quid. n.
de futurũ existimas vbi Deus habitat? Itaq; pro iustis
operibus, pro legum sanctarum obedientia, nihil aliud
quasi mercedem promittebat Deus, q̄; q̄ esset in terris
habitaturus quasi diuina habitatio, omnium honorum
cumulũ gigneret. Bonas facite vias vestras & studia ve-
stra, & habitabo vobiscũ dicebat ad eundẽ populũ
Deus per Hieremiã prophetã, Et subinde si benedixe-
ritis vias vestras & studia vestra, si feceritis iudiciũ in-
ter virum & proximum eius, aduenã, & pupilo, &
vidua non feceritis calũniã, si sanguinem innocentum
nõ effuderitis in loco isto, & post deos alienos nõ ambu-
laueritis in malum vobis meripsis, habitabo vobiscum
in loco isto. Et apud Zachariam, captiuitatis Babyloni-
cã reliquias non alio solatur Deus, q̄; quod sit in-
ter eos habitaturus. Lauda (inquit) & lectare filia
Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui. Et
demum non aliorsum apparatus ille cemoniarum, &
D. iij templi

Nu. 14.

Iudith.
13.

Hiere. 7

Zacha. 2

templi, quod illo cultu diuinam mererentur habitationem, contendebat. Nam post altaris descriptionem, & post varij generis sacrificia praecepta. Quasi illarum rerum fructum subiiciens, habitabo (inquit) in medio filiorum Israel, quasi ex illa habitatione cuncta bona descenderent. Itaque in gentem illam Euangelici status felicitatem non alia ratione Esaias insinuat, quod eo seculo, cum hominibus Deus esset habitaturus.

Exo. 29. Ecce virgo concipiet (inquit) & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus. Et apud Zachariam Hierusalem veram quae est mater nostra ita solatur Deus, & applicabuntur gentes ad dominum in die illa, & erunt mihi in populum & habitabo in medio tui. Et apud eundem homines qui erant a gentibus in euangelicam vitam transmigraturi, Ita ad eos qui e Iudaismo crediderant, aiunt, ibimus, & nos vobiscum, audiuimus. n. quonia Deus vobiscum est. Eodem etiam pacto futurae felicitatis status ostenditur apud Ioannem. Et ego Ioannes

Apocal. 21. vidi (inquit) sanctam ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de caelo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo, & audiui vocem magnam de throno, dicentem. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi eius populus erunt, & ipse deus cum eis, erit eorum deus. Est ergo deum cum hominibus habitare, non aliud quam perfecta felicitas, & status omnium bonorum, quae ad eum pertinent, aggregatione

tione perfectus & absolutus. Contra vero Deum ab esse, omne malum, omne infortuniu, paupertas, afflictio est. Unde in hoc libro seram penitentiam Israelitici populi praedicet. Deus. Irascetur (inquit) in die illa furor meus, & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in deuoratione, inuenient eum mala, & afflictiones ita vt dicat in illo die, vere quia non est Deus mecum, inuenerunt me haec mala. Sed est magnum inter habitationem diuinam hoc triplici statu, discrimen.

Habitare quidem deum cum hominibus Mosaico illo & carnali statu, est temporalium bonorum affluentia gaudere, est a bellis carnalibus esse tutos, est nihil aduersi sentire, est aduersarios bello superare. Nam & hoc ex his locis quos produximus plane colligitur, quo pacto & praesens locus est capiendus. Habitare vero cum eis Euangelico statu qui illa bona, bona non reputat, sed diuitias tantum spirituales appendit, non est aliud quam spiritualibus thesauris asfluere, quae sunt, iustitia, fides, charitas, spes, &c. Et hoc antea de eo statu Hieremias praedixerat. Ecce, inquit, dies venient, & feriam domui Iacob, & domui Iuda pactum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum cum educerem eos de terra Aegypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ipse dominatus sum eorum. Sed hoc est pactum, quod feriam domui Iuda & domui Iacob, dabo leges meas in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eas, & ero eis in deum, & ipsi erunt mihi in

D v populum

populū. Profecto esse nobis in deū, & nos esse ei in po-
pulum, nō est aliud q̄; quod Esaias & Zacharias pre-
dixerāt, q̄ esset habitaturus nobiscū. Nā & Israeliti-
ci populi sub Mosaico testamento, imo & cunctarum
gentium erat Deus, Et apud Ioannis apocalipsim esse
nobis in Deum, aut nos illi in populū, & habitare
nobiscū cōfundūtur. Habitabit (inquit) Ioannes cum
eis & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus erit eorum
deus. Quis ergo sit habitationis diuinæ in Euangelico
statu fructus, Hieremias subiungit. Nō docebit ultra
vir proximum suū, & vir fratrem suum dicens cognos-
ce dominum. Omnes. n. cognoscent me, à minimo. vsq;
ad maximum ait dñs, & propitiabor iniquitati eorū,
& peccati eorum nō memorabor amplius, aut vt Pau-
lus ex Septuaginta cōuertit, ppitius ero iniquitatibus
illorum, & peccatorum illorū iā non memorabor. Vi-
des nimirum non corporales victorias, non terræ abun-
dantiā, non fluentium & corruptibilium diuitiarum
affluentia, sed peccatorū propiciationē diuinorū myste-
riorum certā cognitionem, quā ignorantissimus quisq;
per fidem accepit, demum vniuersum spiritualium bo-
norū āceruum, euāgelico statu possideri. Et certē medi-
citas illa sciētiæ diuinæ, qua vix sapiētissimi, & maxi-
mē diuino lumine illustrati, diuina mysteria calebāt,
ferrea illa difficultas post peccatum admissum indulgen-
tiæ obtinendæ, quam in tota sacra historia videmus,
p̄ q̄; filius datus nobis praeceptor quem audiremus
nobiscum

nobiscum habitaturus è sinu patris descēdit, & omnia
quæ à patre accepit nota fecit nobis, postquam factus
est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & re-
demptio. Postea (inquām) quam apud dominū eius filij
sanguine pro nobis profuso copiosam inuenimus re-
demptionem commutata est in abundantissimam &
plenissimam Dei cognitionem, commutata est in dul-
cissimam & suauissimam remissionis facilitatē,
quæ sunt Euangelici thesauri in Christo absconditi,
& nobis in illo donati. Qualia demum bona futu-
ræ felicitatis ex diuina nobiscum habitatione se-
quantur, idem Ioannes adiungit, Et abstergēt Deus
(inquit) omnem lachrimam ab oculis eorum, & mors
non erit ultra, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit
ultra quæ prima abierunt, & dixit qui sedebat in thro-
no, ecce noua facio omnia. Est profecto perfecta & cō-
summata felicitas horum malorum exclusio, ergo ex il-
la perfecta habitatione consummata bona, illa (inquām)
quæ neq; oculus vidit, nec auris audiuit: neq; in cor ho-
mines ascenderunt sequuntur, sicut ex Mosaica &
carnali carnalia, & sicut ex ea quæ ex parte erat per-
fecta, qualis est Euangelica, bona sequebantur lachri-
mis, doloribus, afflictionibus mista, Nec mirum quā-
do non vna eademq; ratione hoc triplici statu nobis-
cum inhabitat. Habitat cum Israelitica gente fami-
liariter quidem, cum Euangelicis hominibus familia-
rius, tanto, quanto nobis, magis quām Israelitis per
fidem

Math. 3.

Math. 2.

1. Cho. 1

Psa. 130

Ephe. 3.

Apo. 21.

fidem innotuit, cum gente illa felici quæ presentis vi-
ta, qua nemo potest Deum videre, & viuere, exuias
abiecit familiarissimè, ita vt cognoscamus, sicut & co-
gniti sumus, ex maiori vero familiaritate, maiora bo-
na sequuntur, ergo ex prima, bona, ex secunda, meliora,
ex tertia, optima sequi, ratio suadet. i. ex Mosaica tem-
poralia, ex Euangelica spiritualia, ex futura beata. spi-
ritualia lachrimas nõ excludunt, dolores, & gemitus,
imo qui plorant, persecutionem patiuntur, beati dicun-
tur, beata illa & felicia, bona hæc cuncta proscribunt,
vnde rectè dicitur. Et absterget Deus omnem lachri-
mam &c. Est igitur Deum cum hominibus habitare
aut esse, in sancta scripta omnium bonorũ qua illi sta-
tui conueniunt cūmulus & aceruus, atq; adeo non po-
tuit sanctus Propheta melius quanta fuisset eius popu-
li felicitas, siue in conserenda manu cum hoste, siue in
cunctis vitæ necessarijs recipiendis à Deo, explicare quã
dicendo deum cum eo habitasse. Qui sensus per ea ver-
ba qua subinde anectuntur magis exprimitur. ¶ Et
nihil tibi defuit. Non. n. aliud est deũ cum ea gen-
te habitasse, quã nihil illi defuisse. De horum ergo ver-
borum qua postremo loco collocantur sententia cū ea-
dem sit, qua precedentium nihil nobis peculiare dicen-
dum, sed aduertenda tantum interpretis prudẽtia, qui
verbũ, quod nõ defuisse Hebraico textu dicebatur, ali-
quid, conuertit. Nõ defuit (inquit) tibi aliquid. Est au-
tem non vno loco hæc ratio loquendi vsurpata, vt ver-
bum

bum pro re, aut aliquid in sancta scriptura sumatur,
in Exodo eo loco, quo cõmunis aditio habet, Cum acci-
derit eis aliquid (aut quod sensum exprimens Hierony-
mas dixit) aliqua diceptatio, Hebraico textu דבר. i. Exo. 18.
verbũ habetur. Apud numeros præcepit Deus aurũ,
argentum, ferrum, plumbum & stannũ: & omne quod Num. 31.
potest transire per flammam purgari, Hebraicè, vbi nos
omne, verbũ, habetur. Hoc libro cū de uictimis immo-
lãdis præcipitur, Non immolabis (inquit) domino Deo
tuo bouem & ouem in quo est macula, aut quippiam Deu. 17.
vitij: Hebraicè, in quo est omne verbum malum. i. om-
nis res mala, aut aliquid malum. Ad sacratissimam
etiam virginem dicitur, Non esse apud Deum omne Luca. 1.
verbum. i. aliquid, impossibile, quo loco ad similem lo-
quendi formam, & sensum angelus. alluisse videtur,
Vbi Sarrã angelicum nũtium. ridenti. à tribus angelis.
dicitur, Non esse aliquid Deo impossibile. Vbi He-
braicè verbum, etiam pro re habetur. Sunt & innume-
ri loci in sancta scriptura, quibus idem tropus loquen-
di vsurpatur, quos omnes huc velle proferre molestissi-
mum esset. Est autem huius formæ loquendi ratio, mea-
quidem sententia, quod cunctæ res diuino præcepto cõ-
stiterint & fuerint creatæ, quod præceptum non vno lo-
co eadem scriptura verbum appellat. Nam & decem
præcepta, qua vocamus de chalogum. decem verba, nõ Exo. 20.
tantum Hebraicè, sed Latine appellantur, Vnde eo-
dem tropo voluntatem diuinã, os Dei sancta scriptura
nonnunquã

Deut. 8. nonnunq̄; appellat, vt quod in hoc libro Moses ad p̄-
pulum, inquit, dedit tibi cibum maná, quod ignorabas.
tu & patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pa-
ne viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore
Math. 4 Dei. Ad quē locū Christus allusit, cū Sathana tētatio-
nem eluderet. Quāuis hoc loco iuxta veritatē Hebrai-
cam, verbum, nō habeatur, sed in omni quod procedit
de ore Dei. Matheus tamē a ditionē Septuaginta imi-
tatus est, sicut in alijs pluribus locis, cuius tamen idem
est sensus. Nam qui os Dei diuinam voluntatem ap-
pellat, ex qua quasi ex ore praecepta deruentur, qui-
bus res creabiles adesse ducantur, illud quod ab eodem
ore diuino processisse dicitur, rectē verbum appellare
potuit. Nam sicut ex carneo ore, nihil aliud prodire
potest quàm verbum, ita ex metaphoricum ore diuino,
non potest aliud exire quàm metaphoricum verbum.
Rebus. n. à se cōditis, non item verbis fluentibus, & ab
instrumentis vocalibus editis, loquitur Deus. Ergo
quod Moses dixit, sed in omni quod procedit de ore
Dei, rectē siue Septuaginta, siue Matheus ad maiorem
claritatē sententia, dixerunt in omni verbo quod pro-
cedit de ore Dei, in hoc à sancta scriptura phrasi quae
res ipsas verba vocare solet non discedentes.

EXPOSITIO SECUNDVS LOCVS
lectionis.

PRiorē lectionis locū vtcūq; tractauimus, quo be-
neficia Hebraicę nationi tempore pacis tributa
Mosem

Mosē quasi sub epilogo redigere dicebamus. Super est
vt ad secundā partē interpretādā accingamur, quę bene-
ficia militiæ tēpore collata in populi memoriā reducit.
Quoniam autē in uersionibus, quārum ad sensum atti-
net, nulla est differētia, non hic quod Ionathas, aut se-
ptuaginta cōuerterint, nobis est enarrādum, sed Hiero-
nymi versio, quę per omnia Hebraicē veritati assonat,
explicāda dūtaxat. Sic ergo locus habet. ¶ Nōluitq;
Seō res Hesebon dare nobis trāsītū, quia indu-
rauerat dñs Deus tuus spiritū eius, & obfirma-
uerat cor illius, ita vt traderetur in manus tuas
sicut nūc vides. In quibus verbis tātū nobis est ex-
plicādum, quid nā sibi velit hac ratio loquēdi, quā in
sancta scriptura toties inuenimus. Qua (in q̄.) Deum
corda quorūdā indurasse, aut obfirmasse recēset. Quae
profecto nō tātum verbalis est difficultas, qualis multa
quas in eodem sancta scriptura cāpo reperias, sed rea-
lis & grauissima. Qui. n. Deus qui vult omnes homi-
nes saluos fieri, & ad veritatis agnitionem venire, &
qui in cruce nostrā salutē sitiebat, & qui omnia quae
fecit diligit, & nihil eorū odit, quorundā ita potuit
obfirmare cor, vt salutis cōsilio ostiū aperire nō possēt?
Cōuertit, inquit, de hoc in faelicissimo rege, et quibusdā
alijs, corda eorū, vt odirent populum suum, & dolum
facerent in seruos eius. Quid peccauit Seon rex Hese-
bon, si Deus aut eius cor ad Dei populum odiendū cō-
uertit, aut eius spiritum indurauit, vt Israelitica genti
transitum.

Exo. 4. & 10. & 11. & 14. *transitum non praberet, Regis Pharaonis & Aegyptiorum corda, non semel indurasse dicitur Deus. Iosue domini fuisse sententiam insinuat, ut quidam contra populum domini pugnarent & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent. Esaias Iudaei populi cor excecare, oculos claudere, & aures agrauare precipitur, ne forte videant oculis suis, & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & conuertantur & sanentur. Hieremias calicem de manu domini accipit, quo vniuersas gentes infatuat, quo diuinum flagellum comereretur. Sanctus Propheta, vel quod per se desideret, vel quod de quibusdam reprobis diuina iustitia statutum praediceret, obscurentur (inquit) oculi eorum ne videant, & dorsa eorum semper incurrua. Quod Euangelica praedicatione quibusdam non prodesse ut crederent, causam redebant sanctus Euangelista non aliam, quam eius populi executionem quam Esaias praedixerat. Paulus etiam quem vult indurare, & cuius vult misereri Deum inquit. Quid plura? Traduntur quidam in reprobum sensum, ut faciant ea quae nom conueniunt, ut sint repleti omni iniquitate, malicia, fornicatione, auaritia, nequitia, pleni inuidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate, susurrone, detractores, Deo odibiles, contumeliosi, superbi, elati, inuentores, malorum parentibus, non obedientes, insipientes, incompositi, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.*
 Quatum vero veteris theologiae tractores, afflixerit
 hæc

hac forma loquendi, ea quae suis commentarijs de hac re reliquerunt, insinuant. Augustinus hunc locum quem nunc interpretamur exponens, hoc tantum certum habet nullam esse iniquitatem apud Deum, ceterum quare hunc regem & alios indurasse dicatur, ad inscrutabilia Dei iudicia remittit. Obscuriora sunt illa quae libro de gratia & praedestinatione in eiusdem tropi declarationem adducit. Indurare dicitur Deus (inquit) eum quem molire noluerit, sicut repellere eum quem vocare noluerit. Quos. n. praedestinauit, illos & vocauit, & quos vocauit, illos iustificauit, ipse. n. dedit ut simus, ipse ut boni esse possimus. Quibus verbis aperte illi sententiae fauere videtur quae tantum a diuina voluntate non item a nostris operibus, nostram damnationem dependere contendit. Quam si fieri posset vellem prorsus a christianis scholis nunquam probari, quod humanas mentes in perniciem & barathrum desperationis adducat. Nam neque hanc sententiam semper Augustinus probauit, ut postea dicemus, nec eidem unquam, nisi sancta scriptura apparenti violentia compulsus consensit. Hieronymus in hac parte anxius, multa producit ex Apostolo Paulo, quibus nonnunquam Deus maioris boni occasione quadam mala permittat, cuius sententia quoniam melius explicari non potest, quam eius verbis, ea nobis sunt recitanda. Locum hunc (inquit) beatus Apostolus Paulus plenius explicat ad Romanos, & quod ille tota pene epistola
 E profecutus

Aug.
 in. q.
 nou.
 ve. test.
 q. 2.

Cap.

Hieron.
 in. 6. ca.
 Esa.

prosecutus est nos superfluum facimus si voluerimus breui sermone comprehendere. Dicit. n. post multa, Conclufit Deus omnia in incredulitate vt omnibus miseretur, admiransq; domini sacramenta, intulit. O profundum diuitiarum sapientiae & scientiae Dei, quam inscrutabilia iudicia eius, & inuestigabiles viae eius. Et iterum de Iudeorū incredulitate disputans ait. Nunquid sic peccauerunt vt caderent? absit. Sed vt illorum delicto salus gentium fieret, ad emulandum eos. Et postea, Si non abiectio eorum reconciliatio est mundi. Quae assumptio eorum? Nonne vita ex mortuis? Et iterum. Nolo. n. vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobis metipsis prudentes, quia cecitas ex parte facta est in Israel donec plenitudo gentium introeat, et tunc omnis Israel saluus fiat, Et post paulum. Iuxta Euangelium quidem inimici propter vos, iuxta electionem autem dilecti propter patres, absq; penitentia. n. sunt donationes & vocatio Dei, sicut enim vos (inquit) aliquando non credidistis Deo, nunc autem estis misericordiam consecuti propter eorum incredulitatem, sic isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, vt & ipsi misericordiam consequantur, conclusit. n. Deus omnia sub peccato, vt omnibus miseretur. Haec tenus Hieronymus. Ex quibus Apostoli verbis suam in hac parte sententiam statim subinfert. Ergo non est crudelitas, sed misericordia vnam gentem perire, vt omnes
salus

salus fiant, Iudeorum partem non videre, vt omnis mundus lumen accipiat. Vnde & ipse dominus in Euangelio sacramentum caeci à natiuitate qui receperat oculos, vertit ad tropologiam & dicit, In iudicium ego veni in hunc mundum, vt videntes non videant, & non videntes videant. Et in alio loco Si-
meon loquitur. Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum. Illis itaq; non videntibus nos videmus, illis cadentibus nos resurgimus. Et subinde explicans locum à nobis ex Esaia productum, quo Propheta cor populi excacare praecipitur, ex Propheta ad Deum loquentis persona subdit. O domine praecipis mihi loqui populo Iudeorum, vt audiant & non intelligant saluatorem, & videant eum & non cognoscant, si vis impleri iussionem tuam & totum saluari mundum quod & ego desidero, excaca cor populi huius & aures aggraua, & oculos claude, ne intelligant, ne audiant, ne videant. Si enim illi viderint, & conuersi fuerint & intellexerint, & sanati fuerint, totus mundus non recipiet sanitatem.

Haec tenus ille. In quibus verbis multa sunt difficulta & quae non horam vnam, aut lectionem vnam, sed multas desiderant. Hoc tamen penitus videtur difficile, quod vnius gentis aut populi caecitatem Deus operaretur, vt vniuersus orbis saluus fieret, cū sine illius gēris interitu potuisset et vniuersum orbē saluare.

Nam quæ ad Romanos dicit Apostolus, aliorum for-
sam atq; Hieronymus censet feruntur. Non deerant
perfecto diuine sapientia rationes & modi, quibus
sine Iudaica nationis induratione et cecitate, gen-
tium saluti et illustrationi consuleret. Quid plura?
Hoc est quod inquirimus, an illi Iudaica nationi, imo
an vni singulari homini Deus cecitatem aut indura-
tionem possit inducere? Gregorius magnus nihil aliud
Deum obdurare cor esse credit quam non emollire per gra-
tiam, quam sententiam Hugo Victorius in ea Pauli
Apostoli verba quæ Hieronymus profert questionem
faciens, imitari videtur. Voluntas, inquit, Dei, non est
causa nisi eius quod est aliquid, induratio non ponit ali-
quid, sed potius remouet, tamen ut Apostolus ostendat
quod Deus iuste potest dare cui vult, & non dare cui
non vult. Non enim necessitate facit Deus, sed sola vo-
luntate. Ambo igitur licet obscure Augustini sen-
tentia quam prius narrauimus consentire videntur,
qua innuebat tantum ab arbitrio diuino, non à deme-
ritis nostris damnationem pendere. Quod nunquam
nobis neq; vlli rectè diuinæ providentiæ suauem dis-
positionem libranti, probabitur. Rabanus in ea ver-
ba quibus Deus se cor Pharaonis induraturum spon-
debat, ita querit. Quomodo hic dominus dicit indu-
rabo coreius, et non dimittet populum, cum Aposto-
lus de eo referat, Qui vult omnes homines saluos fie-
ri, & ad cognitionem veritatis venire? Indurare ergo
dominus

Libr. II.
mora.

In 4. q.
i epist.
ad Ro.

Raban.
Exo. 4.

dominus Pharaonem dicitur, non quod ipse eum durabi-
lem & inobedientem faciat, sed quod induratum ne eum
corrigat iusto iudicio relinquat. Sed grauissimi & a-
lioqui celeberrimi auctoris in hac parte sententiam non
probo, quæ sacra ipsi historia repugnare videtur, quæ
multis & inauditis flagellis, & quorum non tantum
ipsa, sed historia quoq; prophana meminerunt, diuini-
tus dum adhuc viueret percussum Pharaonem recen-
sent. Eandem sententiam olim probarat Augusti-
nus in sermonibus ad populum de tempore longa ver-
borum serie & multis è sancta scriptura locis inductis
suadens, nihil esse aliud, Deum cuiuspiam cor aut spi-
ritum indurare, quam pro peccatis flagella debita non
inferre. Hoc definitissime credite fratres (inquit) &
hoc intelligite, quia quoties dominus dixit, Ego indurabo
cor Pharaonis, non aliud intelligi voluit, nisi ego su-
spendo plagas meas & flagella, vnde eum per indul-
gentiam meam contra me obdurari permitto. In labo-
re ait propheta hominum non sunt, & cum homini-
bus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia, oper-
ti sunt iniquitate & impietate sua, prodijt quasi ex
adipe iniquitas eorum. Ecce quomodo obduratur qui
ad correctionem castigari à domino non merentur. De
illis autem quos indurari Dei misericordia non per-
mittit, scriptum est. Flagellat omnem filium quem reci-
pit. Et iterum, ego quos amo, arguo & castigo. De ob-
duratione Esaias inquit, obdurasti cor nostrum ne ti-
meremus

Cæne.
Taci. Iu-
stin° &
cate. 38.

Sermo.
88.

Plal. 72.

Hebr. I.
Apoca. 3

E iij meremus

meremus te. Hęc ille, & multa alia illo loco eloquentissime & doctissime. Verumenimvero licet genus hoc indurationis quod perferam Dei vindictā inducitur, pluribus sancta scriptura locis aptari queat, quod genus sunt illi quos ex Psalmis & ex Esaia produxit, & tales quidam (sunt enim nonnulli, qui secundum duritiam suam & impenitens cor suum thesaurizant sibi iram in die irę & reuelationis iusti iudicij Dei, et secundum sapientis sententiam equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadit praceps. Et undenda sunt latera filij dum infans est ne induret, & nō cōsentiat patri, de qua etiam indurationis specie multa Plutarchus libro de sera numinis vindicta) tamē profecto omnibus locis aptari non potest præsertim illi quem eo loco enarrat, quo cor Pharaonis induratum Exodi historia testatur. Nam ab eo loco vsq; ad quartum decimum caput, grauisima flagella Pharaonis diuinitus inflata suscepit, & tamen decimo capite. 11. & 14. eadem in eodem sensu repetit, post versam virgam in colubrū, post manantes sanguine fluuios, post ranas, post cines, post molestissimas muscas, post pecudū pestem, post tabidas & turgentes vesicas, post horreda troniurua, post grandinem, hæc Deum dixisse sacra eadem historia recenset. Ego induraui cor Pharaonis & seruorū illius, vt faciam signa mea hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum quoties contriuerim Aegyptios, & sciatis quia ego dñs Deus. Post edaces locustas,

locustas, post densissimas tenebras, post interfectos primogenitos, iterum dicitur, induraui dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra. Non igitur indulgentia diuina et castigationis remissio, cor illius indurarat, aut graue reddiderat. Apertius mea quidē sententia huic nostro loco hæc indurationis species cōuenire potuisset, vbi nulla prius præmissa flagella legimus, sed blandā & suauē transitus per nūcios postulationē. Transibimus (aiunt) per terrā tuā, publica gradiemur via, non declinabimus ad dextrā, neq; ad sinistrā. Ali- Deut. 2.
 menta precio vende nobis, vt vescamur, a quam pecunia tribue vt sic bibamus. Tantum est vt nobis cōcedas transuum, sicut fecerunt filij Esau qui habitant in Seir & Moabite qui morantur in Ar. donec veniamus ad Iordanem, & transcamus ad terram quam dominus Deus noster daturus est nobis. Hactenus ibi. In quibus omnia mitia, omnia suauia, & que potuisset durissimi regis cor emolire vides. Sūt & apud Græcos auctores qui fuerint Augustini sententiā imitati, ex quibus Diodorus & Theodorus viri, & antiquitate & sapientia satis illustres, quorū tñ opinio eisdē rationibus est cōuellenda. Rupertus Tuiciensis abbas, diuersam sententiam ab his omnibus sequitur, quæ suis verbis licet prolixioribus nobis est recitanda. Quid enim? Nūquid iniquitas est apud Deū? Nunquid gloriā suam querēs Deus cor Pharaonis, quod prius tenerum fuerit indurasse putabitur? vt per occasionem duritię eius, ipse mi-
 E iij rabilia

In Græca
 catena i
 Gene.

rabilia faciendo glorificaretur? absit. Non hoc sensu accipiat homo dixisse Deum indurabo. Sed enim ille oderat filios Israel omnesq; Aegyptios vt supra dictum fuit, ipsum odium surrexerat ex inuidia dicentium, ecce populus filiorum Israel multus & fortior nobis. Neq; enim aliter iuxta Psalmistam, conuertit corda eorum, vt odirent populum eius, nisi dum benedicit & multiplicat populum suum, cor eorum inuidens profecit, imo conuersum est in asperum odium, est autem inuidiae vel odij proprium, vt quanto eu quibus inuidetur maiora cōferuntur beneficia, tanto magis ipsa inuidia vel odium confirmetur. Siquidem quo amplius splendescit cui inuidetur, tanto magis indurescit atq; vritur inuidus. Pleni sunt libri talium exemplis, verum tamen vel vnum proferamus exemplum. Esa. 63. Pulsatus Deus est à Propheta dicente. Quare fecisti nos domine errare à vijs tuis, & quare cor nostrum indurasti ne timeremus te? Primum hoc modo respondet eidē Propheta. Quasi erunt me qui ante nō interrogabant, inuenerunt me qui nō quasi erunt. Deinde dicit patri filius Dei, Ecce ego ad gentem qua non inuocabat nomen meū, nempe idem est, ac si dicat. In eo feci vos ò Iudei de vijs meis errare, & cor vestrum induravi, ne timeretis me, in eo inquam, quod à quarentibus me gentibus inueniri volui, quorum salutem vos odio habetis. Nam propter odium illarum vos indurati estis, & eos in via socios habere non ferentes auerfi estis.

estis. Ita licet aliud intendens ego vos errare feci de vijs meis, & cor vestrum induravi. Haftenus ille. Colligit statim. Igitur dum dicit Deus, Ego indurabo cor Pharaonis, subaudiendum est non eum corrumpendo, sed filios Israel quos inique odit, ipse compatiēti charitate visitando. Hoc enim ego facio in intentione charitatis. Sed illi inuidenti proficiet ad duritiam cordis, ad incrementum odij. Sic vno eodemq; iocundo solis lumine & glacies dura liquefcit, & lutum mole durefcit, id circo in sequentibus sepius dicitur, Indurauitq; dominus cor Pharaonis. Vides clarissimi viri sententia, non gratiae spiritualis, aut auxiliij subtractione, aut iustitiae remissione, & indulgentia, sed bonorum cumulo & magnis fauoribus, quibus populum Israeliticum cumulat, Deum Pharaonis cor indurasse, non quidem positiue peccata causando, vt Manichei mentiebantur, aut priuatiue se habendo gratiae auxiliatricis respectu, sed occasionaliter & praeter intentionem diuinam, cuius est non in barathrum perditionis mortales detrudere, sed à morte eruere, à dānatione liberare, voluntatē auxilijs, et intellectum spiritualis luminis illustratione perfundere. ¶ Hae profecto mihi sentētia improbari nō potest, cū sit facilis & textui maximē afformis. Nā altiora mysteria vbi non est opus inquirere, nunquā mihi probabitur. Verum est (fateor) quod antea dicebamus quosdam sera diuina sentētia vindicta obdurefcere, dum diuinum timorem excutiunt, verum est etiam E v quosdā

August.
de tēpo.
ser. 88.

Ioann. 1

quosdam indignos se reddere, quo auxilium diuinum ad resipiscendum recipiant, quo pacto locum Apostoli Pauli ad Romanos accipiendum existimo. De illis qui Dei notitiam & cognitionē in vanum receperunt, & in sua desideria conuersi traditi sunt in reprobū sensum & iugo peccatorū cervicem dederunt. Sed hic locus, vel quos ex Exodo, vel quem ex Psalmis produximus, de hac occasionali duritie sunt accipienda, in quē sensum & Apostolus Paulus legem subintrasse, ut abū daret delictum inquit, quo pacto etiam loci, quos ex Rom. 5. eodē Apostolo Hieronymus antea adducebat sunt accipiendi. Fuerunt enim Iudaica corda indurata, vel Christi inuidia, qui eos aceto Euāgelicæ prædicationis curabat, vel gentium zelo et emulatione, quas propter paruum laborem in dñi vinea, denario quoq; æterna retributionis donari videbant, & post obligurità substantiā iterum à Deo occiso saginato vitulo, & immortalitatis stola decorari. Qua propter retrorsum ab eūtes maliciosa inuidia sunt obdurati. ¶ Itaq; triplex obduratio. (ut sanctos autores in concordiam adducamus) obduratio. (ut sanctos autores in concordiam adducamus) obduratio. Indulgētia vna, qua quidā id circo obdurantur, quod quasi diuina flagella non sentiant, de qua forsam accipiendū est, quod Esaias dicebat ad Deum. Quare errare fecisti nos domine de vīs tuis, & quare cor nostrū indurasti ne timeremus te. Fuerat populus ille delicate nutritus, blanda educatione in croceis adoleuerat. Vnde ex nimia

nimia Dei indulgentia ex punitionis cessatione, calcitrabat contra Deum, illius minas & terrores non timens. Vnde veridicos prophētas quasi malorum ariolos morte mulctabat, & diuina imperia quasi proteruus filius spernebat. Vnde illius populi sunt ille ludibriosæ dedignationes manda remanda, manda remanda, modicum ibi, modicum ibi, quasi præceptorum multitudine, tedio confectus, illis dedignaretur parere. Alterum obdurationis genus est, quod ex peccatorū multitudine & habitu prauo contrahitur, quando homo non ex ignorantia, neq; ex passione, sed ex mera malicia peccando, in peccatorum profundū descendit, quādo (inquam) contēnit tunc enim nisi grandi misericordia, in peccatis suis obdurati, nec de peccato penitent, nec ad salutem remigrāt. Quod genus delicti peccatū ad mortē Ioānes Apostolus vocat. Hęc indurationē cauendā admonebat Apostolus. Adhortamini (inquit) vos metipso per singulos dies donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Et de eadem est accipiendū, quod de Israelitica gēte Hieremias dicebat, Indurauerunt facies suas super petrā, & noluerunt reuerti. Nam quod ea durities à malicia deriuaretur, qua statim adiungit, ostendunt. Ego autē dixi, forsitam pauperes sunt, & stulti ignorantes viam domini & iudiciū Dei sui, ibo igitur ad optimates, et eloquar eis, ipsi enim cognouerunt viam domini & iudiciū Dei sui. Et ecce magis hi simul confregerunt iu-

E vi gum

Hebr. 13

Hiere. 5.

gum, ruperunt vincula. Et subditur pœna iã sacrilegæ peccãdi peruicaciæ debita. Ad circo percussit eos leo de sylua, lupus ad vesperã vastauit eos, pardus vigilãs serper ciuitates eorum, omnis qui egressus fuerit ex eis capietur, quia multiplicatæ sunt pręuaricationes eorum, confortatæ sunt auersiones eorum. Indurare igitur hac ratione, dicitur Deus, aut quempiam in reprobum sensum tradere, aut in passiones ignominia, &c. quando ita peccatis grauissimis exigentibus, timore diuino distituitur, aut illo peculiari iuuamine, quo iusti quãdo cadũt pulsantur, deseritur. Quoniã ad horũ cõuersionem non illa cõmunis pulsatio sufficit, qua mollia corda & nondum peccati malicia concreta, Deo cedunt. Nam ad eam collata horum corda sunt dura, sed grauiori & maiori. Cuius speciẽ de mortui quatruiduo Lazari suscitationẽ præferre; sancti Patres nos docent, quæ nõ antea facta est, q̃; lachrymis & vocibus fuisset reuocatus ab inferis. Vnde Augustinus, siue Hieronymus, nam cuius sit liber certum non habetur. Indurare, dicitur Deus quorundam corda, non quod omnipotens Deus per potentiam suam corda eorum induret, q̃ est impiũ credere, sed quia exigentibus eorũ culpis eam duritiem cordis quam ipsi sibi malẽ perpetrando nutriunt, non aufert, quasi ipse eos induret, quia iusto iudicio indurare finit. Hactenus ille. Solenne est autẽ in sancta scriptura Dei permissionem, Dei actionẽ vocare, ita vt ea quæ Deus permittit eundem agere dicat.

Ita

Libr. de
essentia
Dei.

Ita enim Deus apud Hierusalẽ decepisse Prophetã se dicit. Et David. Declinasti, inquit, semitas nostras à via tua. Non quod Deus mendaciũ fecerit, non quod Iudaici populi vias à rectitudine & iustitia derorsiferit, Sed quod ita habeat humana fragilitas, vt nisi diuino auxilio peccata non vitet. Vnde quæ deus in nobis non impedit, facere dicitur, quoniam. s. facere potuisset, si peccata non impedirent. Tertia indurationis species occasionalis vocatur, quando nimirum ex his beneficijs quæ à Deo quibusdam conferuntur, quidam inuidia marcescunt, vt rex ille Pharao apud Aegyptios, qui quoniam non sui & suorum, sed eorum quos ipsi quasi seruos empticios præmebant, à Deo rationem fieri videbant, inuidia rabidi, Deũ dedignantem, eius imperijs obedire nolebant. Et eodem zelo cruciabatur Seon rex Hesebon, de quo nunc agimus, & pleriq; alij apud Amorrhæos, qui et aliàs nationis Israelitici populi vidẽtes fœlicitatẽ, quæ tamẽ seruilis habebatur diuinam in illam benignitatem æquo animo ferre nõ poterant. Vnde de sacrilega contumacia indurati, semper eodem populo aduersabantur diuina mandata spernentes, sed de hoc loco satis sit hæc præstrinxisse.

¶ SECUNDVS LECTIONIS LOCVS ¶

Locus quem proposuimus tertia lectionis parte enarrandum, vt ex toto capite non nihil dicere-remus, ita habet ex communi versione. ¶ Non dabo tibi de terra filiorum Amõ, quia filijs Loth dedi

Eze. 14.
Psal. 43.

dedi eā in possessionē terra gigantum reputata est, & in ea olim habitauerunt gigantes, quos Amonitæ vocant zomin. Qui locus nec cū Hebraica veritate, neq; cum Caldeis aut Græcis interpretibus nobis est conferendus, sed tantum generalis illa quæstio tractanda, quos vocet scriptura gigantes. Nā & prophanas fabulas quosdam monstruosæ magnitudinis homines finxisse comperimus, qui quondam mōies aggerantes cælo bellum intulerint, quos tñ sapientes ridere, & quasi poëtica figmenta subsanare solent.

Gen. 6.

Legimus autem gigantes, non vno loco sanctæ scripturæ, sed multis. Nam & libro Genesios ante diluuiū tēpora gigantes fuisse super terrā referuntur. Tertio etiā huius libri capite, rex Basam solus de stirpe gigātū restituisse dicitur. Sobochai de Vsaithi Philistæus de genere gigātū à Dauide interficitur. Et ne multa dicamus, vallis gigantum frequens est in sacra historia.

2. Re. 21

Et quidem quātū ex Hebraica literatura colligitur, nomina quibus gigantes vocantur, nullam corporis vastitatem, sed animi virtutem insinuant. Appellantur Raphaim aut Enachim, quorum alterum tantum potentes, fortes, robustos significat, à verbo אָשָׁר id est, medeor, curo, sano, deductum, quod, scilicet, inter ceteros mortales viuida, vegeta, & nullo langore confracta corpora possiderent, quamuis aliam huius vocationis rationem Rabini reddiderint, al-

Rabi Abraham

rum verò torquatos aut torques habentes latine sonat

nat, אָשָׁר, egnhac enim torquis est, vt ex locis multis sanctæ scripturæ colligitur. Erat autem apud gentes quasdam militare præmium, quo milites insigni virtute, ornabantur, autore Vegetio, quales apud Romanos ex diuersa materia coronas fuisse legimus. Poteramus ergo ne cum gentium fabulis, sanctam cōmisceremus historiam, quos scriptura gigantes appellat, viros eximia militari virtute, intelligere, bellaces inquam, & qui ceteros militari potentia subigerent. Quo pacto Nembroth à septuaginta שִׁבְעִים vocatur, quod omnium mortalium primus in suam ditionem homines redegerit. Et certè Ionathas Caldeus paraphrastes, quos scriptura gigantes appellat גִּבּוֹרִים guiborum, id est, potentes, fortes, perpetuo conuertit, quod nomen nullam corporis monstruosam vastitatem significat. Vnde hoc loco ab Amonitis זָאֲזוּמִין (sic enim legendum est) eos appellari refertur, quod nomen non corporis magnitudinem, sed industriam & sapientiam insinuat. Significat enim sapientes, & in disciplina militari industrios viros, quam sapientiam eis forsam Baruk tribuit, dum inquit, Illic fuerunt gigantes nominati, illi qui ab initio fuerunt statura magna, scientes bellum. Non difiteor eos corporis etiam magnitudine præditos, sed non vasta illa mole, quam poëta prophanis suis fabulosis gigantibus tribuunt, sed quali nationes quædam Septentrionales, Germani inquam qui si ad alias

Abé Ezra, & rabi Selemo, i cōmen. Genesios. 2. lib. de remi Au. Gellus, Liuius. &c.

Gen. 10.

3. cap.

1. Regū.
17.

alias nationes conferantur gigantes appellari possent, sunt nihilominus in sancta scriptura loci quidam, qui nos in quibusdam hominibus ingentem et preter hanc communem corporis molem concedere cogant, ut quod de Goliath Gertheo, qui cum Davide in certamen descendit, referrur, quod esset altus sex cubitis et palmo, & quod pondus lorice eius quinq; millium siclorum esset, & lacea quasi liciatorium textentium, & lacea ferri sexcentos siclos ferri appederet, quale etiam de Labidenob qui nisus est percutere David, cuius etiam hasta ferrum trecetas uncias ferri habere dicitur, simileq; de Goliath quem Adeodatus Bethleemites occidit, et de Aegyptio illo quem Banaias Ioiade sacerdotis filius interfecit recēsetur. Sed mōstrosa istorū hominū vastitas & magnitudo, non facit vigentem integrā quales quos Raphaim aut Enachim scriptura vocat, quos interpretes gigantes conuertunt, eadem corporum mole præditos fuisse asseramus. Imo Goliath quē David occidit, quem tamen omnium vastissimum scriptura depingit, gigantem non vocat, Aegyptium etiam non appellat gigantem, et alios duos licet de genere Raphaim oriundos recenseat, non tamen gigantes vocat. Ita ergo habēdum, ut quoties historia sacra, aut iuxta septuaginta, aut iuxta nostram æditionem quospiā gigantes appellat, non corporum vastitatem mōstrosam, sed militarem virtutē in viuido proceroq; corpore intelligamus, procero (inquam) non absolute, sed gentis Israelitica

Israelitica respectu, quæ quoniam in Aegypto Australi regione adoleuerat, collata ad Septentrionales nationes & gētes quales ea quæ promissionis terram incolebāt, non tam ingenti corporum mole præditos homines nutrebat. Sūt enim semper Boreales nationes propter maiorem sanguinis abundantiam vastiores et fortiores auctore Aristotele. Sequutus est autē Hieronymus septuaginta æditionem qui huiusmodi homines *γίγαντες* appellant, quod nomen etiam non aliud quam fortes aut robustos significat. Fatemur nihilominus quosdā fuisse particulares homines qui præternaturali illa corporis immanitate præcelerent, quos tamē gigantes scriptura non vocat. Quorū immanitas non est fabulosa putanda cum & historia prophana quibus tamē propter autorum grauitatem fidem adhibere par est, similia de quibusdam enarrent. In Aegiala insula multis suis temporibus gigantum monumenta extare libro de admirandis auditis Aristoteles docet. Strabo in Phelegrao campis olim fuisse gigantes cōmemorat. In creta terra remotu rupo monte, inuentum esse corpus quadraginta sex cubitorum, quod alij Orionis, alij Osi fuisse tradūt, Plinius est autor. Idemq; refert Orestis corpus oraculi iussu reforsum septē cubitorū fuisse. Diui Christophori molavis dens pugno maior, in summo Valentini rō templo à volētibus visitur, Paulo ante gothicā vastationē, Romę visa est femina gigantē et vastissimo corpore. Et demū illorum seculorum mortales & gradioribus

Libr. de
longi. &
breui. vi.

Libr. 7.
narura-
lis histo-
rie.

dioribus corporibus et longiori vita quam posteriorū
seculorum homines fuisse, vniuersi qui post Aristotilem
mundum eternum non ponunt existimant. Vnde Ho-
merus libro. 6. Iliados Diomedem canit saxum quod
iacebat in agro ingens & ponderosius viribus quatuor
decim iuuenum quales suo seculo erant raptum intorsi
se in Aeneam, quo ictu hic prostratus tectus sit à Ve-
nere diffusa caligine nigra. Apud latinos Virgilius
etiam Turnum refert ingentem lapidem in agrorum li-
mite infixum in Aiace intorsisse.

Vix illum (inquit) lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Quod testimoniū Augustinus libro de Ciuitate Dei.
15. non fabulosum putat, cuius hæc sunt verba. De cor-
porum magnitudine, plerunq; incredulos nudata per
vetustatem siue per vim fluminum variosq; casus sepul-
chra cōuincūt, vbi apparuerūt vel vnde ceciderūt in-
credibilia ossa mortuorum. Vidi ipse non solus, sed aliq;
quotquot erāt mecum in Vricensi litore molarē hominis
dētē tam ingentem, vt si in nostrorum dentium modu-
los minutatim conscinderetur centum nobis videretur
facere potuisse, sed illum gigantis alicuius fuisse credi-
derim. Hactenus Augustinus. Quo loco & Pliniū
testimonium citat, qui quanto magis, magisq; præte-
rit seculi excursus, minora corpora naturam ferre teste-
tur. Homeri autem & Virgiliū testimonia Iuuenalis
poëta satiricus attigit his versibus.

Saxa

Saxa inclinat per humum quæ sita lacertis,
Incipiunt torquere, domestica seditione,
Tela, nec hunc lapidem quali se Turnus et Ajax,
Et quo Tytides percussit pondere coxam
Aeneæ, sed quem valeant emittere dextre
Illis dissimiles & nostro tempore nata.
Nam genus hoc vino iam decresebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atq; pusillos

Ex his, illius loci Geneleos quo post ingressum filiorum Gene. 6
Dei ad filias hominū, gigantes potētes à seculo geniti di-
cuntur, vera germanaq; intelligentia colligitur. Non Lactan.
enim (quod hic quidā alioqui doctissimi et grauissimi lib. 2. di
autores putarūt) vastissimi quidā homines ex angelorū ui. insti.
aut demonū cū feminis comistione sint geniti. Sed gi- Euse. li.
gātes ibi vocantur viri bellaces et qui aliorum liberta br. 6. de
tē et fortunas inuaderēt, quorū improbis operibus diui præpa.
na iustitia exagitata diluuij suplicij mundo inuexerit. Euā. Iu
Nā neq; hoc loco in Hebraico textu ענכים Enachim sti. in A-
aut רפאים Raphaim, quæ nomina gigantes editio nostra po. con-
cōuertit, sed Guiborim, qđ tātū fortes aut robustos signi tra gen.
ficat habetur. Quod autē à filijs Dei geniti dicātur, vel
p filios Dei iustorū filios insinuat, vt habet cōmunis sen-
tentia, aut (qđ magis pbo filios) Dei, magnatū, iudicū,
& pcerū, qui rerū publicarū summā tenebāt, filios in-
telligit, qui propter parentū autoritatē (vt fieri solet)
summa libidinis licētia, promiscua venere, in omnes fæ-
minas grassabantur, matrimonia & coniugales tho-
ros violantes, Multi deinde & aliq non minus diffici-
les loci in sacra historia clarescunt. Sed de hac re satis
sumus locuti.

LAVS DEO.



